DE POETICA

M. TULLII CICERONIS FACULTATE

DISSERUIT

Victor FAGUET,

AD HUMANIORUM LITTERARUM STUDIA AGGREGATUS.

PICTAVIIS,

EX TYPIS N. BERNARD,

M DCCC LVI.

PRÆFATIO.

Anquirenti de poetica Ciceronis facultate non prætermittendum est, ut æquiore judicio controversia disceptetur, qualis apud superiores aut æquales fere poetas scribendi ratio fuerit, et quanta jam arte poesis exculta processerit. In hoc argumento tamen omnia strictim attingere debemus, et ea tantum definire quæ velut lucida rerum capita proposito lucem præferant.

His præmissis, destinatum ad opus aggredi vacat. Quum vero Livius Andronicus, Ennius, Pacuvius, Attius, aliique, discerptis tantum membris, ad nos usque pervenerint, neque permanserit quidem ex eorum poematis unum, quo liceat integro, aut parte saltem ampliore, fingendi copiam, vim excogitandi, auctorisque sapientiam probare, eorum et Ciceronis linguam tantum orationemque, minus autem ingenium conferre nobis in promptu est. Superiorum igitur poetarum et recentioris, quoad patet, absoluta comparatione, sequitur ut nobiliorem Tul-

lianæ musæ speciem intueamur, et quantum ejus fragmenta suppeditant, vel unius operis consilium, et poetice fingendi præstantissimam facultatem in auctore deprehendamus. Quæ quum in illius propriis carminibus tantum patefieri possit, ea seorsum perpendere congruit. Hæc igitur primum attrectare ratione non alienum est. Quum autem, his diligenter excussis, poetæ mentem et ingenium satis dispexisse visum fuerit, illius, ut ita dicam, habitum, et orationis formam, qua sua Tullius exornaverit, examinandam suscipimus.

Hinc ad alteram hujusce disputationis partem aditus est. Conversos autem a Cicerone Græcorum locos ita duplici consilio prosequimur, ut primum ab alienis, quæ transtulerit ipse, secernamus, et interpretem deinde Tullium cum auctore Tullio conferamus. Tum enim utrumque licebit accuratius æstimare, suo quemque gradu collocare, et præstantiæ, si qua succurrat, causas manifestius expromere. Quas ubi primum significare concessum fuerit, tam discordia veterum et recentiorum de Ciceronis poetica facultate testimonia recensebimus, et, his pro nostro judicio compositis, huic operi finis imponetur.

I.

DE POESI LATINORUM ANTIQUA

ET HEROICO PRÆSERTIM VERSU ANTE CICERONIS ÆTATEM.

« Ennius, Pacuvius, Attius, ait Cicero, multique alii non verba sed vim expresserunt Græcorum (1). » Cui sententiæ non multum abest quin omnino, vel majorem in partem assentiamur. Illis enim poetis vim inesse Græcorum ultro concedens, de verbis non nihil a Cicerone dissideas, siquidem Ennium Attiumque paulo diligentius attendenti constare potest, illos Græcorum etiam æmulatos elegantiam, eorum quoque verbis exprimendis operam quamvis infeliciorem addidisse. Initium igitur hujus disputationis a verbis et lingua vetustæ poesis, vim et ingenium ulterius inspecturi, repetere tentemus.

Vix operæ pretium foret præmonere, qualis illorum poetarum verbis plerumque squalor inhæreat, ni significandum esset quam invenerit et ad quem gradum poesim Cicero provexerit. Sunt apud illos in-

(1) *Quæst. Acad.*, 1, 3.

numera, quæ summo judicio primus aut inter primos ab oratione poetica removenda senserit; quæ vero, quum iis notam inussisset, infamia poesim elegantiorem reliquerint, et in perpetuum exoleverint. Horum igitur nonnulla liceat exempla laudare, quibus illud horridum et obsoletum (1), et expurgantis laborem et sapientiam æstimare possimus. Multa nimirum abrogavit, quæ nimiam antiquitatem redolerent. Quum enim apud Ennium et ipsum apud Attium subjecta et istiusmodi plurima, et agrestiora quidem reperire sit, in Tullii carminibus hæc frustra quæras: « Sanguen, squala, squalitas, solitas, angustitas, vicissitas, magnitas, egregiissima, noxitudo, facul, dividia, senium « tædium » volup. »

Duriora quoque vel ipsa natura vel contractione proscripsit. Offendissent enim auris superbissimæ judicium « possestrix; parentum incertum investigandum gratia (2), » et vulgarior litteræ *s* prætermissio, qua tam multa apud Ennium et Attium nescio quod horridum contrahunt, ut, verbi causa, « Visust, stultust et hi versus :

Te nunc, sancta Venus, precor, et genitrix patri' nostri (3).

Suavis homo, facundu', suo contentu', beatus,
Scitu', secunda loquens in tempore, commodu', verbum
Paucum (4).

(1) *De Oratore*, l. 3, 25.
(2) Bothe. *Poetæ Scenici*, *Atalanta*, Pacuvii, p. 109.
(3) Ennius. *Annales*.
(4) Ibidem.

Nominum genera, quæ mutantur adhuc et incerta pendent, ad orationis solutæ modum et rationem Cicero redigit, stabiliora definit, et horum, verbi gratia, licentiam exemplo feliciore coercet: « Quid in castris strepiti? » — « Armenta, castra, lapides sublatæ, labeas, » feminino genere; masculino, « collus, fretum ferventem, rectosque cupressos, scutus; » neutro', « pannum, » et istiusmodi numerosiora quam quæ possint huc admitti.

Incondite compositis etiam Cicero diffidit, quæ, Græcorum, ut præmonuimus, vestigiis insistentes, in patrium sermonem quamvis repugnantem veteres ingerere conantur. Mutuatus enim fuerit a Nævio Virgilius « arcitenens, » hujus comprobatur judicium. Quis autem Ciceroni non suffragatus esset, ab his vocum fictionibus abhorrenti : « Fœdifragi, aurora pudoricolor, Memnon nocticolor, triseclisenex, dulcioriloquus Nestor? » — Illa Nævius, hæc aliaque multa recentior Attius protulit : « Lætificabilis, horrificabilis. » Quorum similiumque vim et elegantiam isto versu juvet explorare :

Nerei repandirostrum, incurvicervicum pecus (1).

Illi veteres quum hac transmarina laborant imitatione, domestica tarditate gravantur, et eam nominum molem adhibent, quæ vix oratio soluta patiatur. Apud Attium vel unius fragmenta fabulæ nobis ingerent : « Concorditas, vanitudine, orbitudinis,

(1) Bothe, ex incertis Pacuv. tragœd., p. 148.

anxitudine, mollitudine, lassitudine, temeritudinem, prolixitudinem. » In aliis occurrent « pœnitudine, vastitudine, miseritudine, lætitudine, honestitudo. » Quarum pondere vocum versus, in primis iambicus, « pes citus, » ingravescit et anhelans opprimitur. Raro enim contingit ut hæc sesquipedalia verba, paulo felicius et opportuno inserta loco, grandi exsplendescant imagine, ut apud Attium :

Delubra cœlitum, maris sanctitudines!

Non committendum est tamen ut omnia, quæ cursim attigimus, peccata, in auctores tantum et immerito conferamus. Duplex enim criminum est genus : quorum alterum et gravius balbutienti linguæ, alterum arte rudibus poetis adscribas. Illi quidem nec vetustiorem asperioremque nominum formam, nec generum ancipitem naturam effugere potuerunt. Vix etiam duriorem contractionis modum illis vitio vertas, quum ejus temporis auribus callum agrestior usus obduxisset. Sed apud illos inconditam vocum compositionem et soluta digniores oratione locutiones, quarum repens humi longitudo legentem obstupefacit, non eadem facile venia prosequemur.

Vitio tamen ætatis an suo sordeant, quid refert? Si labem utramque cautissima vitaverit arte Cicero, nobis non minore laude celebrandus obversabitur.

Nomina vero vix aliquot relegimus, quum eodem jure liceret in cæteras eloquii partes animadvertere. Verbis igitur quibusdam inhæremus, quæ non absimili rubigine squalent et senio turpantur. Quemadmodum

declinatio generumque species in nominibus, sic in verbis forma nondum certa sibi consentit. Plurima serius deponentia tunc activa fuisse, vulgarius est quam ut significandum curemus : « Opino, lamento, cuncto, vago » et ejusmodi cætera, quum obvia passim jaceant, nihil jam offensionis habent. » Temporibus insolenter desinentibus magis animum attendis : « Audibo, expedibo, etc. » Sed, ut monstra quædam, hæc situ et spurcitie deformia reformidas : « Reciprocat, corporaret, calvitur, aberruncare, muginantur, verminatur, incilans, ocquinescere, cette manus. »

Illas tamen inter sordes non pauca reperienda sunt verba, quæ, quamvis exoleverint, significantia vivaque desideremus, verbi gratia : « Orbificor, vilitant, villicari, grundire », et illud Pacuvii feliciter effictum :

> Utinam nunc matrescam ingenio, ut meum patrem ulcisci [queam (1)!

Et hoc Ennii :

> Sol qui candentem in cœlo sublimas facem (2)!

Hactenus de verbis apud veteres poetas usurpatis. Ciceronis sententiam satis, quod arbitramur, approbavimus. Nunc superest ut vim Græcorum ab illis expressam fuisse confirmetur. Ex antea dictis colligendum esse videtur, eorum orationem senio per–

(1) Bothe, *Dulorestes*, p. 122.
(2) Ibidem, *Medea*, p. 55.

sæpe fœdari verbis et obsoletis squalere, ut apud Attium, ne statim Ennii vel horridiora referamus :

Eheu!
Cujatis stirpem funditus fligi studet (1)!

Merum sermonem redolent nonnulla :

Perque agros passim dispergit corpus, id ea gratia
Ut (2)....

Et loquendi bona pausa nobis datur (3).

Plures, ut Horatii verbis utar, missos magno (majore dixissem) cum pondere versus apud illos reperias :

Inimicitias Pelopidarum exstincta tam oblitteratas memo-
[ria renovare (4).

Lucidum in verbis conjungendis ordinem raro, aliquando tamen, requiras, ut in hoc Ennii versu :

Filiis propter te objecta sum innocens Nerei (5).

Quæ quidem adeo videntur a Græcorum vestigiis aberrare, ut ipsius Ciceronis judicio fidere vix audeas. Sed accuratius attendendum est. Illi sermonem patrium, quamvis agrestem, impeditum, hiantem, summis ingenii viribus excolunt, extricant et mollitum

(1) Bothe. *Achilles*, p. 160.
(2) Ibidem, *Medea*, Ennii, 55.
(3) Ibidem, *Epigoni*, Attii p. 199.
(4) Ibidem, *Agamemnonidæ*, p. 163.
(5) Ibidem, *Andromeda*, Ennii, p. 38.

explanant. Ennius, Nævius, Attius, subtili mentis acumine, arguta concinnitate, faceto lepore nonnunquam, exemplaria græca feliciter æmulantur. In *Cresphonte*, filiam et patrem, acri contentione rixantes, Euripidis solertiæ non impar, Ennius inducit. Argutiis etiam plus nimio quæsitis juvenatur et luxuriat, ut in *Iphigenia* :

Otiod in otioso animus nescit quid velit (1).

Plus negoti habet, quam quum est negotium in negotio.

Et in *Phœnice :*

Stultust qui cupida cupiens cupienter cupit (2).

Illa putidam affectationem produnt. Elegantiam vero modestiorem, sales atticos, facetamque philosophiam, quum in quamdam impudicam, aut in augures invehitur (3), Ennius nobis jure probaret. Quem imitatur simili scepticorum dicacitate lepidus et elegans Attius :

Nihil credo auguribus qui aures verbis divitant
Alienas, suas ut auro locupletent domos (4).

Græcorum præsertim figuris illi veteres efflorescunt, antithetis indulgent, ut Attius in *Philocteta* :

Configo tardus celeres, stans volatiles.

(1) Bothe. *Iphigen.*, p. 51.
(2) Ibidem, p. 59.
(3) Ibidem, *Telamo.*, p. 62.
(4) Ibidem, *Astyanax*, p. 181.

Translata consectantur, ut Pacuvius :

Nunc primum opacat flore lanugo genas.

Sed in hoc genere res illis minus succedere videtur. Judicio nondum certo freti, ampullis et immodico tumore turgescunt. Apud illos promontorium « linguam projicit ; unda cavo littore latrat, et saxa clangente strepitu cachinnant ; cœlum est clupeus altisonus ; tibicina maximo labore mugit ; bellator effundit irarum quadrigas. »

Interdum tamen verum illic robur, vis animosa, splendor et dignitas eminent. Quid jam expressius requiramus quam illud *Medeæ* :

Sibi ut salutem familiari pareret parricidio? (1)

Aut *Atrei* :

Gnatis sepulcrum ipse parens (2)?

Nervisne deficitur et animo, quum describit hæc Ennius :

Alia fluctus differt, dissipat
Visceratim membra, maria salsa spumant sanguine (3)?

Et alio loco :

Æs sonit, franguntur hastæ, terra sudat sanguine?

(1) Bothe, Ennius, p. 55.
(2) Ibidem, *Atreus*, Attii, p. 186.
(3) Ibidem, *Andromeda*, p. 37.

Et rursus :

Sublimiter quadrupedantes, flammam halitantes (1) ?

Et in *Thyesta* :

Ipse summis saxis fixus asperis, evisceratus,
Latere pendens, saxa spargens tabo (2) ?

Apud Ennium quoque splendescit nonnunquam, assurgit et nobilitatur oratio. Quamvis arte rudis, vividam exprimit imaginem hic versus :

Sparsis longis hastis campus splendet et horret (3).

Lyricum etiam impetum et afflatus audaces alibi spirare sentimus :

Sol equis iter repressit ungulis volantibus (4).

Consueta gravitate sententiosus vates hac mœsta desævit imprecatione :

Neque sepulcrum, quo recipiat se, habeat, portum corporis (5) !

Breviora sunt, sine dubio, quæ raptim collegimus, quam ut Ennium et alios latinæ poesis auctores fideliter adumbratos agnoscas et admireris. Ejusmodi tamen exempla supra memorantur, ex quibus et intel-

(1) Bothe, *Hectoris lytra*, p. 44.
(2) Ibidem, *Thyestes*, Ennii, p. 66.
(3) Ibidem, *Scipio*, Ennii, p. 60.
(4) Ibidem, *Scipio*, Ennii, p. 60.
(5) Ibidem, *Thyestes*, Ennii, p. 67.

ligantur verba Ciceronis, et Græcorum vim, ab illis veteribus in mirum sæpe modum expressam, revixisse constet. Quod ipse senserat Virgilius, grati nequaquam animi, si modo quem defraudaret margaritis, ei simul stercus exprobraret. Plurima jam advertimus, quæ manifesto sibi vindicare dignatus est. Nonnulla subjicientur, quibus ejus imitationem magis perspectam æstimemus. Pacuvii « mortem ostentant (1) » in mentem revocat, *Æneid.* primo libro, 191 :

Viris intentant omnia mortem.

Di, quibus est potestas motus superum atque inferum (2)!

exclamat Ennius.

Di, quibus imperium est animarum, umbræque silentes!

Vicissim invocatione sublimi Virgilius.

Apud Ennium Andromache :

O pater, o patria, o Priami domus (3)!

Æneas apud Virgilium :

O patria, o divum domus, Ilium!

Hæc rursus Andromache :

Quoi nec aræ patriæ domi stant, fractæ et disjectæ jacent.

(1) Bothe, *Atalanta*, p. 109.
(2) Ibid., *Cresphontes*, p. 40.
(3) Ibid., p. 35

Non absimilia jactat Sinon, *Æneid.*, 2, 70. Ennii Medea Virgilianam certe Dido delineat. Altera talibus exscribitur :

Medea animo ægra, amore sævo saucia (1).

Quæ non exsuperat elegantior altera :

At regina gravi jamdudum saucia cura.
Æneid., 4, 1.

Hæc *Alexandri* :

Nam maximo saltu superabit gravidus armatis equus,
Qui suo partu ardua perdat Pergama (2).

Illud Virgilii notissimum ediderunt :

Scandit fatalis machina muros
Feta armis.

In quibus mirabilem imitatoris artem et judicium deprehendimus, qui, dum mutuatur, emendat et in melius expoliendo deflectit. « Feta armis » partum quidem futurum significat, imaginem vero ridiculam non expressius objicit.

Nobili versu præierit Nævius :

Panditur interea domus altisonantis Olympi (3).

Iterat Æneis, 10, 1 :

Panditur interea domus omnipotentis Olympi.

(1) Bothe, p. 52.
(2) Ibid., *Alex.* En., 34.
(3) Weichert. *Vet. Poet.*

Quod si vero cæsas arbores jam Ennius descripsit:

Incedunt arbusta per alta, securibu' cædunt;
Percellunt magnas quercus; exciditur ilex;
Fraxinu' frangitur, atque abies consternitur alta;
Pinus proceras pervertunt: omne sonabat
Arbustum fremitu silvaï frondosaï (1).

Adest Virgilius qui, primam imaginem retractans, agrestiora tamen lineamenta non oblitterat, *Æneid.*, l. 6, 179:

Itur in antiquam silvam, stabula alta ferarum:
Procumbunt piceæ; sonat icta securibus ilex,
Fraxineæque trabes; cuneis et fissile robur
Scinditur; advolvunt ingentes montibus ornos.

Sed, ne videar in silvam ligna ferre, de his Virgilii furtis aut imitationibus fusius disserentem Macrobium ultra non æmulor.

Infra nobis quærendum erit, utrum eodem usus delectu fuerit Cicero, et, quum verba diligens excoleret, superiorumne quoque poetarum vim feliciter expresserit.

Nunc hujus capitis propositum absolvimus, et quem ad perfectionis gradum jam illi veteres hexametrum eduxerint, investigandum arbitramur. Hactenus enim circa tragœdiarum iambos morati, minus ad Ciceronem respexisse videmur, qui, quum Terentiano sermoni nihil decoris adjicere posset, Livium,

(1) Weichert. *Vet. Poet.*

Ennium, Nævium, Lucilium imitando consectari, et novis laudibus epos exornare nitebatur.

Odysseam versibus latinis convertere Livius Andronicus, agrestiore forsitan lingua, fuerat aggressus. Illa tamen, tanquam aliquod opus Dædali, Ciceronem delectat. Nobis vero pauciora supersunt Livii fragmenta, quam ut eum æqua possimus trutina pensare. Illi quidem elegantissimos versus adscribit Terentianus Maurus :

Sed jam purpureo suras include cothurno, etc. (1).

quæ quum Augusti sæculo non dedecori forent, vix optimis Livii consentire videntur, et commune præferre genus istiusmodi versibus :

At celer hasta volans perrumpit pectora ferro.

Inferus an superus tibi fert deu' funera, Ulyxes?

Ennius, ut in iambis, squalenti sæpe senio turpatur et horret. In *Annalibus* occurrunt :

Magnum quum lassu' diei
Partem fuvisset de summis rebu' regundeis
Consilio, endo foro lato, sanctoque senatu.

Ista legentem, quam dura sint apud Ennium pleraque, præmonere otiosum est; quam gravia et magno cum pondere missa, testentur hæc duo :

Curanteis magna cum cura, concupientes
Regnei, dant operam simul auspicio augurioque.

(1) Cf. Virg., *Æneid.*, l. 1, 337 :
Purpureoque alte suras vincire cothurno.

Talia silentio facile prætermitteremus. Ubi vero poesis agitur, sermo merus et pedestris nobis maxime sordet. Quid autem istis et similibus humi serpit abjectius :

Ingenium quoi nulla malum sententia suadet
Ut faceret facinus; levis, haud malu', doctu', fidelis,
Suavis homo, facundu', suo contentu', beatus, etc.

Additur orator Corneliu' suaveloquenti
Ore Cethegus Marcu', Tuditano collega.

Ille vero poeta, ubi primum in rem carmine digniorem, et suo aptiorem ingenio, in arma scilicet et heroas incidit, animis statim exardet, verbis ditescit, vivis coloribus res expingit. Alter Homerus bellicum canere videtur :

Et tunc sicut equus qui, de præsepibus actus,
Vincla sueis magneis animis abrumpit, et indu-
Fert sese campi per cærula, lætaque prata,
Celso pectore, sæpe jubam quassat simul altam :
Spiritus ex anima calida spumas agit albas.

Homeri quoque vim et impetum in subjectis agnoscas :

It equus, et plausu cava concutit ungula terram;
Tollitnr in cœlum clamor exortus utrinque.
Concurrunt venti veluti, quum spiritus austri
Imbricitor, aquiloque suo cum flamine contra
Indu mari magno fluctus extollere certant.
Undique conveniunt, velut imber, tela tribuno;
Configunt parmam, tinnit hastilibus umbo,
Æratæ sonitant galeæ, sed nec pote quisquam

Undique nitendo corpus discerpere ferro;
Semper abundantes hastas frangitque quatitque.

Quum talia nulli tædium affere possint, aliud etiam placet fragmentum subjicere, cujus expressas imagines maxima non dubitemus admiratione prosequi :

Clamor it ad cœlum...
Inde loci lituus sonitus effundit acutos.
Africa terribili tremit horrida terra tumultu;
Undique multimodis consumitur anxia curis;
Omnibus endo locis ingens apparet imago
Tristitias.

His omnibus non modo verborum vis, pondus et dignitas, sed jam color inest et vita spirat; jam pictura poesis evadit, et pauca superesse videntur, quæ Cicero et Virgilius perficienda suscipiant. Quum enim apud Ennium pleraque gravitate nobili vigeant, orationis illic mollitiem et motum desideremus. Sed in ea quoque parte nonnihil elaborat : variare modos, versus rigidum tenorem, et quasi ferream molem inflectere conatur. Hæc, sine dubio, levitate quadam temperantur et sententiam expingere contendunt :

Verrunt extemplo placide mare, marmore flavo,
Cæruleum spumat sale, conferta rate pulsum.
Labitur uncta carina, volat super impetus undas,
Quum procul aspiciunt hostes accedere venteis,
Navibu' velivolis, magno clamore bovantes.

Attamen, in hoc præsertim, infelici quadam temporis conditione, peccat Ennius. Rigido et infracto ro-

bore stant illius carmina, iisdem clausulis persæpe cadunt, nec aliis alia permixta, cæsuræ multiplici et molli flexu sententiæ circuitum variosque motus æmulantur. Quod animadvertere licet vel in nobili fratrum augurio :

Curanteis magna cum cura, etc.

Illic enim, ut apud Ennium plerumque, gravitas et amplitudo reperiuntur, oratio mollescere et inflecti laborat, versusque sibi constantior et rigidior modus aliquando, nec infeliciter, infringitur :

Hinc Remus auspicio se devovet, atque secundam
Solus avem servat, etc.

Et simul ex alto longe polcerrima præceps
Læva volavit avis.

Sed hoc duriore casu nonne stupent aures?

Exspectant, veluti consul, quum mittere signum
Volt, etc.
Sic exspectabat populos atque ora tenebat
Rebus,...

Fieri nonnunquam potest, ut in monosyllabon desinente versu, nobilis efficiatur imago. Hoc enim delector :

Læva volavit avis, simul aureus exoritur sol.

At mihi minus approbatur :

Exin candida se radiis dedit icta foras lux.

His autem offendor :

Cedunt ter quatuor de cœlo corpora sancta
Avium, præpetibus sese polcreisque locis dant.

Ut vero totam uno aspectu versus Enniani formam amplecti possimus, extremum, precor, at mirandum mihi liceat locum subjicere :

Nec mi aurum posco, nec mi pretium dederitis;
Nec cauponanteis bellum, sed belligeranteis,
Ferro, non auro, vitam cernamus utrique.
Vosne velit an me regnare hera, quidve ferat fors,
Virtute experiamur; et hoc simul accipe dictum :
Quorum virtutei belli fortuna pepercit,
Eorumdem me libertati parcere certum est :
Dono ducite, doque volentibu' com magnis dis.

Sententiæ nihil detrahimus, romanamque verborum vim et quasi ferociam admiramur. Illa vero carmina propius ad incomptam Homeri libertatem quam ad modestiorem Virgilii cultum accedere putes. Quod autem ore rotundo loquentibus Græcis concedere non dubitant, hoc a Romanis usurpatum ægre ferunt. Nam asperiori linguæ non eadem licentia vagari licet; sed ea firmioribus inhæreat modis, certisque stet legibus necesse est, quibus exculta mansuescat, et aurium judicio lenior approbetur.

Jam intelligi potest, quæ versans exemplaria, quos linguæ poeticæ auctores et ingenii duces æmulatus, ipse Cicero versibus excolendis incubuerit. Vix equidem in tali re Lucilium laudare conducit. Quid enim imitandum satirarum scriptor heroici præser-

tim carminis studioso poetæ proposuit? Cæterum si quis in illo genere merum sermonem musamque pedestrem unquam profiteatur, hunc certe Lucilium prædicares. Horatii judicio non abutimur : Lucilii reliquias evolvimus. In verbis et in argumento sæpe, solutam apud illum orationem, et vix aliquam poesis umbram reperire est. Disceptent exempla. Quis legitimo nomine versus vocare hæc auderet :

Cœlicolæ, vellem, inquam, adfuvissemu' priore
Concilio.....
Ut nemo sit nostrum, quin pater optumu' divum,
Ut Neptunu' pater, Liber, Saturnu' pater, Mars,
Janu', Quirinu' pater, nomen dicatur ad unum.

Frustra talibus vocabula græca, ne ad minimum quidem patrii sermonis modum efficta, sed mera, consociare nititur; plerumque squalidus, hians, humilisque repit, et grammatistæ quam poetæ similiorem se gerit. Grammaticam enim et metricam et latini sermonis sinceritatem in quibusdam fragmentis edocet. Quæ quidem a poesi non abhorrere defendam, si modo contingat, ut ea vel Horatius vel Boileau tractare sibi sumant, et illis ingenii floribus exornanda curent. Sed orationem solutam his versibus longe prætuleris :

Nam velut intro aliud longe esse atque intu' videmus,
Sic et apud te longe alid est, neque idem valet ad te.

Intro nos vocat ad sese, tenet intus apud se.

Acuto quidem et lepido Lucilius ingenio, sed isto di-

cendi genere poesim a poemate discriminat, aut in putidos concinnitatis Isocraticæ sectatores invehitur. Quum vero philosophiam moralem attingit, proposito jam uberiore potitur; sed argumento nixus, oratione tamen succidit enervis, aut Catoni saltem quam Ennio propiorem hanc scribendi formam existimes:

Virtus, Albine, est pretium persolvere verum
Queis in versamur, queis vivimu' rebu' potesse.

Virtus scire homini rectum, utile, quid sit honestum,
Quæ bona, quæ mala item, quid inutile, turpe, inhonestum.

Hostem esse atque inimicum hominum morumque malorum,
Contra defensorem hominum morumque bonorum,
Magnificare hos, his bene velle, his vivere amicum;
Commoda præterea patriæ sibi prima putare;
Deinde parentum, tertia jam postremaque nostra.

Aurea sane præcepta. Quum autem in versibus poesis requiratur, nemo non exclamaret: quin mero sermone scribit?

Multum tamen abest ut suam quibusdam criticis admirationem exprobremus, et in Lucilio nullum ingenii poetici spiritum exstitisse contendamus. Tot illius carmina desiderantur, ut improba tumeret confidentia, qui, paucissimis modo reliquiis attendens, universa fastidiosus et ignota contemneret; quum in iis etiam quæ supersunt, occurrant quæ tollere velles, exempli gratia:

Blanditia certare, bonum simulare virum se,
Insidias facere, ut si hostes sint omnibus omnes.

Quum ita cujuslibet ætatis homines, et hodiernos fortasse, vera Lucilius imagine, et pressa quidem oratione felix infamat, sic indignatione non minore et vi comica gulosis notam inurit :

Vivite lurcones, comedones, vivite *ventres*.

Quod verbum, usque recens, adeo nuperrime florebat, ut hesterno vix exciderit usu.

Fuerit igitur Lucilius facetus, emunctæ naris,

Illius fortasse aut rerum dura negavit
Versiculos natura magis factos et euntes
Mollius.

Unde fit ut, si poeticæ linguæ Ciceroni quoque fuerit auctor, exempla discipulo certe perficienda reliquerit.

Lucretium nunc transmittimus, qui quum Ciceronis exstiterit æqualis, eodem tempore scribens, artis suæ disciplina Tullium fortasse non erudiit. In hac tamen quæstione infra versabimur.

His ergo præmonitis, Ciceronem aggredi juvat, ut æstimetur quanta peritus arte verborum antiquam rubiginem deterserit, et quæratur utrum prisci vim ingenii et versus heroici cultum æquaverit, aut etiam perficiendo poeticam promoverit.

II.

PROPRIA CICERONIS CARMINA.

Quæ pertinent ad linguam, ad poeticum orationis colorem, et ad heroici versus elegantiam, ea tantum apud superiores poetas et Ciceronem conferre conceditur. Quam vero comparationem ut ad hujusce capitis finem seponamus res ipsa monet. Reliquit enim Cicero carmina, ex quibus apud illum excogitandi facultatem, et operis fingendi consilium saltem suspicari possimus. Hæc autem duo quum maxime poetam declarent et ad vivum exprimant, cavendum est ne fragmenta, quamvis minuta, prætermittamus. Nobis igitur relegenda videntur omnia, quæ proprio Tullius afflatu scripserit, et ea præsertim excutienda, quæ mentem et ingenium auctoris expromant.

Propria Ciceronis carmina quatuor vulgo traduntur : *Marius*, *De consulatu*, *De temporibus suis*, de Britannica Cæsaris expeditione desideratum aliud. Quibus etiam quintum subjiciendum esse censeamus, si modo fides Nonio sit habenda, hæc sub vocab : «Elegantes,» memoranti : « Elegantes : Tullius, carmine de moribus : Avaritiam omnia vitia habere putant sumptuosus, cupidus, eligans (sic), vitiosus. »

Hujus carminis nusquam alibi, quod quidem arbitremur, superest vestigium, nisi forte putes illuc pertinere quæ laudat *Ars Cledonii*, Lindemann, v. 1,

de præpositione : « Adversum leges moresque malorum.

Minora quatuor : *Jocularis libellus*, *Uxorius*, *Nilus*, et nominis etiam incerti poema quoddam, aliqua vix memoria digna videntur; cætera : *Pontius Glaucus*, *Limon*, *Alcyones*, *Elegia Tamelastis*, in præsens omissa, quum Ciceronis translationes et imitationes relegemus, in medium rursus afferri poterunt.

Ex illis etiam quatuor quæ nobis consideranda seponuntur, duo licet auferas, quum operis a Cicerone quidem absoluti, nullo tamen superante fragmento, de Cæsaris expeditione carmen intelligimus, consilium et fingendi rationem conjectura prosequi, nonnullius aleæ et audacius paulo videretur. Quod etiam ad *Marium*, omnino fere desideratum, attinet. Ergo sileatur utrumque, quum nobis nunc in animo sit intimam ingenii poetici naturam apud Ciceronem intueri.

Aggredimur *De consulatu* et *De temporibus suis* carmina, quæ nondum secernenda curamus, quum eadem ratione nunc ea considerentur. In illis quinque, quarum quidem nomina supersunt, personæ versari videntur : Minerva, Jupiter, Urania, Calliope et ipse Cicero. Minus cognitam, quæ in primo de *consulatu* libro locuta fuisse fingitur, musam transimus; cæterasque musas, deosve aut deas, quos dicentes in omnium fere cœlicolarum concilio conjectare pronum est, ultro negligimus. Qui vero poematum amborum actores certissime noscuntur, eos omnes in scenam quomodo poeta produxit?

Deorum curia quædam nobis patere videtur, in qua postquam, consulis vices agens, rem Minerva retulit, ad cæteros gradatim sententia descendit, donec ad Ciceronem ipsum veniat. Quod ex his Quintiliani verbis colligere possumus : « Et quod reprehensum fuisse et derisum (Cicero) scribit a nonnullis, a Jove se in concilium deorum advocatum, a Minerva omnes artes edoctum fuisse, quæ sibi Cicero, secutus quædam Græcorum exempla, permiserat. » Quint. XI, I.

Quod si vero nobis non satis liquet, a Minerva, dum Ciceronem docet, habitum fuisse sermonem, orator certe Jupiter in Ciceronis carminibns exstitit, ut in quadam ad Quintum epistola manifestum est : « Quod me admones de non curantia, suadesque ut meminerim Jovis orationem, quæ est in extremo illo libro : ego vero memini, etc. » Ad Quintum, l. 2, 8. Quæ tertia personam in poeticis Ciceronis operibus agit, ipsa tam manifesto partes oratoris Urania defendit, ut locum ex orationibus in Catilinam excerptum in carmen convertere videatur. Quarta similiter, Calliope videlicet, oratorio cum cæteris studio contendit, et Ciceronem hortatur, ut cursum quem a juventute et a consulatu tenuerit, eum eadem constantia servet. Jam igitur tot orationes quot capita in carminibus Ciceronis invenimus. Quo vero se modo tam disertus orator gerit? Num in illo tam eloquenti deorum cœtu mutescit? — At in poemate personamne tibi fingis, quæ quum nihil agat, ne ullum quidem verbum emittat, quæ semper ad-

monita nunquam respondeat? Illud inventum Ciceroni vitio dare, nobis deredicnlo foret. Orator igitur in carminibus etiam permansit. Quæ, nobis quidem, ut plerisque, singularis ingenii pervicacia non omnino poesi consentire videtur.

Non desunt tamen qui quum in oratore summam inveniendi reperiant ubertatem, eamdem poetæ Ciceroni necessario contigisse, aut futurum fuisse ut contingeret, acerrime contendant. Nobis autem alterum ex altero natura consequi minime constat. Licet in genere quodam, at non in omnibus invenias. Docti sæpe viri et ingenio præstante philosophi mira quadam excogitandi facultate præcelluerunt, quos inter Descartes, Malebranche, Pascal in exemplum afferre non absurdum est. Quo vero poesis studio flagraverint neminem fugit. Ipse Pascal a poetarum natura non adeo videtur abhorrere, quippe cui sermone nonnunquam poetico suas pingere sententias et, ut ita dicam, sculpere contingat. Nihilominus acriore poesim animo deridet, nedum illius inventa miretur aut attrectanda curet. Memorantur enim paucissimi, qui multiplicem inveniendi facultatem ita sortiti fuerint, ut in scientiis pariter et in litteris inventione floruerint. Ipse Plato, quum inter philosophos poetico maxime viguerit ingenio, nonne Socraticam domum ingressus, ab Homeri statim disciplina descivit?

At quum proxima sint, vel, ut quidam asserunt, quum eadem inventionis natura duo genera constent, cur alterum eidem concedis, alterum vero negas? Quid autem inventioni poeticæ similius quam oratoria

potest inveniri? Specie quidem nihil. Revera quid intersit, attendamus. Iis enim eadem natura non ingenita videtur, quorum absimilis est effectus, quæ ad finem alienissimum evadunt. Inventionis autem oratoriæ quis est effectus, quis finis? — Convincere. Qui vero poesis? — Pulchritudinis effigiem exscribere. Num vero nobis sunt ejusdem generis persuasio et pulchritudinis adumbratio? Ut igitur effectus et finis, ita causæ repugnant. Inventio poetica ab oratoria sejungitur, quum hæc a scientia quadam, illa vero ab arte suam originem repetat.

Quod si autem paululum a via recedens, sed ad eadem spectans, non poesim adhuc, sed poesi proxima quædam in Ciceronis operibus relegeris, dialogos videlicet, qui ad maximam dramaticæ poesis similitudinem accedunt, jam compertum esse poterit, quantum inventioni poeticæ discrepet oratoria.

Nobis igitur animo fingamus ingenitam fuisse Ciceroni paulo majorem inveniendi poetice facultatem. Jam illius in liberiore materia versatur ingenium. Si enim convincendis etiam animis inventio studet, non iisdem, quibus eloquentia, coercetur angustiis; latiore curriculo circumagi potest, et ampliorem arti locum concedere. Scena quædam aperitur, explicatur actio, quam habitu et ingenio diversis personæ peragant. Hæc artis omnia sunt; in his licet appareat artifex, si modo his dialogis artifex mentem et animum inspiret, si non ab inventione poetica nimis alienus exstiterit.

Dialogos autem Ciceronis memoria revolvamus.

Scena quidem, quum ad Platonis similitudinem accedere laborat auctor, ut, verbi gratia, de legibus exordiens, poeticis aliquando coloribus et artificio quodam exornatur. At plerumque, si nobis non occurreret ejus nomen, quem orator aut alius alloquitur, excursum quemvis rhetoricum philosophicumve crederemus initum, nedum verus confabulantium sermo seratur. Quam vero fabulæ speciem agere videntur personæ, quum accidit ut, in disputatione *de finibus bonorum et malorum*, actionem temere deserant, aut immutentur ipsæ, et quæ non ab exordio potuerint audire, ea in alio loco repetant et absolvant?

Habitum, ingenia, mores quid attinet animadvertere? Omnes Ciceronis actores humanitatis, doctrinæ sapientiæque studio simul eminent. Neque illis talem bonarum artium similitudinem crimini vertimus. Plusculum tamen, quum dialogus agitur, desiderari potest. Simpliciter et tuo nomine totam controversiam explica; sin autem personas fingis, et in scenam adducis, homines videam :

> Ætatis cujusque notandi sunt tibi mores,
> Mobilibusque decor naturis dandus et annis.

Quem vero in dialogis varium requirimus decorem, eum in Cicerone frustra te reperturum esse confidas. Quamvis enim ex ejus personis afferamus. Illi diligenter attendentes, eam in multiplici sermonis circuitu sequimur. Certe quidem animadvertimus, in hoc elaboravisse Ciceronem, ut historiæ veritati nihil detraheret, et singula quæque conferret, quibus col-

loquentis effigies nec tempori, nec rebus absona dissentiret. Res tamen et personæ pariter jacent : hæc omnia mortua sunt. Quem enim e suis actoribus ita menti nostræ penitus impressit, ut eum agentem et viventem, et ante oculos fideliter exscriptum nobis proponamus? Nullum, quem meminisse saltem possimus. Omnes e memoria prorsus, ut umbræ tenues, elapsi sunt. Nomina tantum superfuere. Aut si quid omnino restat, quo liceat eorum ingenia nobis rursus evocare, hoc unum est : ut poematum personæ, quas jam attigimus, ita dialogorum actores, oratoris modo, potius causas agere quam confabulari videntur. In maximo *De oratore* dialogo, vel in minimo *De senectute*, Crassus et Cato pariter orant, non colloquuntur.

Quo minor inventionis poeticæ facultas in Cicerone constet, nos pudet illum Platoni conferre, et vix necesse videtur. Quanta enim peritia scenæ locum hic eligat, quam eleganter et scite dialogi fabulam ordinet, et ad eventum ingeniosa circuitione deducat, quam felicem ingeniorum sibi repugnantium diversitatem exhibeat, qua mens obiter cum voluptate doceatur, neminem sane præterit. Hic homines nobis occurrunt, non umbræ : vivunt, agunt, sentiunt et Gorgias et Hippias et Alcibiades et Socrates, et innumerabiles alii, qui sic os suum et mores et ingenium in nostra memoria defixerunt, ut eos olim novisse credamus; qui sic vero sermone colloquuntur, ut ipsi cum illis adhuc confabulari nobis videamur.

Quod vero magis etiam mirari possumus, ille qui

morosa quadam instinctus acerbitate, poesim, gallicam saltem, et sui temporis, nec prorsus immeritam, ita discerpit, ut ipsum poetæ nomen illi videatur invidiosum, quum ipse dialogos instruit, Pascal inventione dramatica longe Ciceronem præstat.

His præmissis, quæ Ciceroni fuerit in ipsis poematis inveniendi facultas, jam attendimus, et carmini *De consulatu* primum, quippe cujus locupletiores reliquiæ supersint, nobis studere placet.

Nemini dubium est quin illud historicum epos tribus omnino partibus constiterit. Potest etiam conjici cuique libro musæ nomen inscriptum fuisse. Quum autem in secundo loquens inducitur Urania, et in tertio Calliope, quæ primum exorsa fuerit, admodum ignoratur. Hunc tamen totius operis ordinem suspicari non a ratione videtur alienum. Quum in secunda parte narret Urania, quibus monstris dii conjurationem aperuerint, et in tertia Calliope Ciceronem consiliis et monitis instruat, quibus ille semper se sibi parem præbiturus sit, intelligi potest, secundam operis partem ad ipsum conjurationis exitum pertinere, tertiam vero ad ea quæ periculosum Ciceronis triumphum consecuta fuerint. Quid autem jam deesse potest, nisi quod ante sceleris manifestam fidem acciderit?

Itaque, quum carminis argumentum sibi Cicero suum consulatum elegisset, ut simplex et una materia foret, rerum summam ad conjurationem, probando sane judicio, retulisse videtur, et cætera singulis in libris ita disposuisse. In primo, quod

memorat Quintilianus, id occurrisse libenter arbitramur. Sunt tamen qui velint illud ad poema de *temporibus suis* pertinere. Quod nobis nullo pacto probatur, quamvis hac opinione, quod nobis nunc in primis propositum est, paululum infringere videamur. Nobis enim animo fingamus in *temporibus* etiam *suis* a Minerva Ciceronem edoctum fuisse, et a Jove consiliis admissum. Quid inde sequitur, nisi Ciceronem bis in idem incidisse; et, quum in *consulatu* cœlicolis immixtus, jam ab Urania, a Calliope et a Jove doceatur, rationem operis eamdem in *temporibus suis* constitisse? Unde vel mitissimo liceret judici poeticam inveniendi facultatem in Cicerone paululum desiderare. Sed quod istiusmodi penuria non verisimilis videtur, illud Ciceroni crimen condonantes, ad probabiliora confugimus, et primum *consulatus* librum sic esse restituendum opinamur.

> Panditur..... domus omnipotentis Olympi;
> Conciliumque vocat divum pater atque hominum rex.

Romanorum enim imperio tempestas imminet atra. Sceleratum fœdus initum est, et Romam excidio conjurati petunt,

> Quorum luxuries fortunata censa peperit (1).

Jovem Quiritium miseret, et, instantibus fortasse romani sanguinis auctoribus, Venere et Marte, reipu-

(1) Nonius: Census, Cicero in *consulatu suo*. — Forsan sic emendandum est:

> Quorum luxuries fortunam et censa peremit.

blicæ dii consulunt. Quæritur inter mortales, qui possit everso succurrere seclo. Propter virtutem et ingenium, dignus ea procuratione Cicero videtur. Ad quem, ut ab eo præcipue culta, Pallas legatur, et eum divinam in concionem admittendum curat. Tunc Minerva memorat quibus disciplinis et virtutibus eum a pueris exornandum susceperit, ut reipublicæ saluti tandem, Jove jubente, consulere paratus esset. Quam ei curam Jupiter ipse mandat, et revocatis in memoriam quæ jam illi consulatum portenderint, et igne qui, libante Terentia,

Corripuit tremulis altaria flammis
Sponte sua (1).

illi divinam infundit mentem, qua se temporibus parem ostendat. Talia prologi modo carmen exordiuntur. Tunc musa, nescio quæ, Clio fortasse, conjurationem ab origine repetit, consilii nefarii ducem et principes, rationem, opes et apparatus exscribit et explicat. Quo liberius sibi proposita perficiat, ut gladio, consulatu Catilina flagrat accingi. Ut eligatur Cicero reipublicæ contingit.

Secundum librum, opibus e Plutarcho sumptis, eo libentius supplere potes, quod historicus non semel Ciceronis opera de consulatu laudat, quæ sive commentaria græce scripta, sive ipsa poemata fuerint (2), non adeo sibi repugnare potuerunt, ut hæc illis non

(1) Servius ad Eclogam VIII.
(2) *Cæsar*, Plutarch. 8.

aliquantum resarcire liceat. Hoc igitur non improbando consensu, libri secundi fragmenta quo fuerint consilio et mente collata dispicimus. Urania cœlestia vel terrestria, quæ spectaverunt ad conjurationem, portenta recenset, novissimi non oblita, quo detectum scelus significabatur. Quum autem interpretatione quadam et conclusione facta prius complecti videantur, non ad incipientem librum hæc miracula pertinent. Illis vero quæ præposita fuerint, ex hoc intelligi potest, quod fœderi patefacto congruens ostentum narratur. Itaque non audacius ille nobis conjicere videretur qui, cum multis a Plutarcho relatis, ea præsertim a Cicerone descripta fuisse suspicaretur, quæ circa conjuratorum in carcere cædem versentur, et Ciceronis timores,

Atque animo pendens noctu eventa timebat (1).

et illud consulis et senatus per vias iter, lugubre primum et brevi pompa quadam triumphali celebratum. Neque omisit sane poeta quibus omnium ordinum clamoribus urbis conservatæ conditor alter vocatus fuerit. Hoc potissimum loco crederemus ab Urania miraculorum seriem evolutam fuisse, quam excipiens ipse Jupiter, ut constat, futuri belli consilia patefacit, et, Ciceronem adhortatus, æquas tanto certamini vires consuli subministrat.

Tertius liber explicare potuit qua clade consularis exercitus Catilinam ceciderit. Quam in opinionem ipso nomine Calliopes adducimur. Nam eloquentiæ et

(1) Nonius: Eventus, Cic. *Consulatus sui*, l. 2.

poesis heroicæ musa poetæ majora canenti necessario vocanda fuit adjutrix et sola certaminis gloriosi remuneratrix. Supersunt ejus libri tres omnino versus, quibus Calliope Ciceroni suadet, ut prioris vitæ vestigiis constanter insistat.

Hujus poematis rationem et consilium rursus ordinare conati, ab ea probabilitate, quam ubique Cicero prædicat, prorsus nos aberravisse non opinamur. Ne tamen videamur multa licentius effinxisse, quo facilius Ciceronem innoxium argueremus, quæ constant nunc in controversiam tantum adducantur.

Consilio Jovis admittitur Cicero, quem omnes artes edocuisse Minerva se profitetur. Ignota musa primum, Urania deinde, Jupiterque vicissim eum laudibus extollunt, aut consilio juvant; choro denique, ut præconium et monitus amplificet, Calliope miscetur. Quæ tradidit antiquitas, non in deterius vertere nitimur. Prout occurrunt, simpliciter ea conferre studemus. Quod igitur operis consilium inde possit exoriri, dispiciamus.

Nos adhuc non fugit, qua Ciceronem Quintilianus excusatione prosequatur, quum ad Jovis consilia raptum, et edoctum a Minerva poetam memorat : « Quæ sibi Cicero, secutus quædam Græcorum exempla, permiserat. » Vulgatissimam igitur poematis rationem, et a mediocribus poetis celebratam usurpaverat; et, dum alio mente respiciebat, quod in carminibus tanti refert, consilium operis flocci faciens, illud ab aliis temere mutuatus fuerat. Quam autem operis summa sit infelix, considerandum est.

Dum choro cœlicolarum immiscetur, qui vel ab illo facta memorant, vel illum monitis edocent, quam interea personam agit? Ut in fabulis, mutam fortasse, immotam certe, eodemque in vestigio stantem, donec a principibus diis incipiens ad cœlestem plebeculam gradatim laudatio descenderit. Inutiles etiam partes in deorum concilio sustinet. Neque enim per tres libros monetur; plura narrari debent, quam a diis doceri. Cui vero narrantur? Ciceroni, qui talibus minime documentis indiget.

Denique Cicero non animadvertit, quum a se nobiliter et strenue facta divinam in scenam transferret, effici statim ut fabula quædam, non ipsa res agi videretur. Ista terrestrium adumbratione cœlesti frigent omnia; veritas simulatione torpet, suus color abripitur rebus, omnis actionis motus cessat, legentisque studium restinguitur. Ciceronem omnino præterit nullo poemate suam laudem altius efferri, et nusquam, aut magis, aut vividius suum animum spirare, quam quum orationibus in Catilinam deseviens, patriæ caritatis nobilissimum carmen ediderit.

At satis patet qua mente ductus hanc poematis tritam rationem elegerit. Hic etiam orator et politi cus apparet. Inimicitiæ jam exardent, conflatur invidia, quibus occurrendum est. Deorum igitur numine, quidquid egerit in consulatu, consecrare studet. Inde concionantur et Minerva et Jupiter et Urania et Calliope; inde tutari laborant quas in republica gerenda partes Cicero suscepit, et eum in eadem retinere via

certant. Ex quo factum est ut orator, dum sui nimium reminiscitur, poetæ nonnihil offecerit.

Neque aliter, sui plus æquo memor et amans, in impeditiores angustias incidit. Dum enim sibi laudum suarum testes deos et præcones comparat et fingit, quem in exitum evadit? Ipsos in concionem vocari deos, qui mortalem quempiam laudibus efferant, nonne jam in ridiculo paululum haberi potest? — Fac tamen eos sibi vicissim præconii curam tradere. Si res a Cicerone gestas, ornatu quolibet, ut poesis requirit, amplificare contendant, in mortalis gloria stupentes deos ostendis. Si vero quæ fuerint, præconium non egrediatur, et veris contineatur, quis jam usus poesis superest? Historiam potius oratione soluta scribas. Quod si tandem, ut præsens et pudens, se laudibus obteri Cicero non patitur, quippe qui diis ipse canentibus mentem inspiret, modestia quadam, vel invitus, adducitur ut musæ suæ parcat, et illius impetum temperet. Tum vero quæ Ciceroni potest vis excogitandi poetica superesse? Illi neque rebus, neque verbis aliquantum habenas effundere licet, nisi statim sibi paulo gloriosius assentetur: Cedant arma, etc. — O fortunatam, etc.

His similia jactare aut humi reptare cogitur. Quibus in angustiis, quum utrinque sint præcipites, iter tenere quam arduum est! Ciceronis oratione præsertim proditur quæ rebus difficultas inhæserit. Aliæ quidem sunt causæ cur Ciceronis propria carmina non egregiis eloquii virtutibus eluceant. Sed oratoris et hominis anxia sollicitudo et inanis gloria, quum ar-

gumentis et sententiis offecerint, stylo quoque damni nonnihil, ut opinamur, attulerunt. Quod si non ipsa conjectura probabile jam fieret, reipsa comprobandum esse nobis videretur. Dum enim in carminibus Ciceroni propriis, nullo colore, nullo succo splendet et luxuriat oratio; in iis quæ convertit aut imitatur, stylo nonnunquam sanguis influit, lacerti quidam exseruntur, spiritus aliquis, motus et vita tandem apparent. Cujus discriminis quæ causa jam afferri potest? Hæc sola mihi probanda videtur, quod scilicet Cicero, quotiescunque afflatu proprio poesim aggreditur, ut pote qui natura præsertim exstiterit orator, suum non ingenium excedit; quum autem certis exemplaribus incumbit et immoratur, paululum assurgit, et quas ingenitas, sed inferiores habet, poeticas virtutes excitat et altius evehit.

Quæ nostro proposito congruentia, ut manifestius explanentur, quod fuerit propriis Ciceroni carminibus scribendi genus, nunc attingere liceat. Cætera de poetico Ciceronis eloquio disseremus, quum ea quæ convertit aut imitatus est, in proximo capite recensebuntur.

In fingendis carminibus sibimet etiam impar Cicero poeta videtur, quum ingenio condita proprio fundens, non aliorum afflatu concitatur. Tunc illi quæ turpiore nota celebrantur, sæpius excidunt.

Ex ipso Ciceronis tempore, versus illi duo, quos jam attigimus, exploduntur. Quos Voltaire, dum Ciceronis crimen elevare studiosius exardet, excusatione sua prorsus infamavit. Fingit enim aliquem Ci-

ceronis obtrectatorem exstitisse, qui eos ridiculi causa commentus, innoxio Ciceroni : O fortunatam, etc., asseruerit. Qua defensione nescio an nullum unquam crimen reum gravius oppresserit.

Aliquid tamen ingeniosum et subtile critici sententiæ subest. Illud enim famosum : O fortunatam natam, etc., ita conditum est, ut suspicari possis a derisore quodam hoc præcipue curatum fuisse, ut jactationi semper eadem iteranti responderet irridens echo, et pervicaciam ostentationis importunam jocosa vocis imago referret, et iisdem syllabis imitaretur. Scitum sane carmen, si ad hoc spectaret. Quum autem comprobatum sit et illius auctorem esse Ciceronem, et aliud in animo habuisse, quam feliciter illi cesserit sententia, patet.

Quid autem ad propositum et conclusionem refert, singulos et istiusmodi carpere versus, quos tam multi deriserunt, ut illos retractare pæne deridiculo futurum sit? Ciceronem in propriis carminibus animo et afflatu defici manifestius comprobares, si cuidam occurreres argumento, quod oratione soluta vicissim et versibus attigisset. Hanc autem conferendi rationem tertia in Catilinam oratio et de consulatu carmen sufficiunt.

Poetæ materiam præbet orator. Hanc igitur quam feliciter ille convertat et exornet, operæ pretium est audire. Locus apud utrumque tribus partibus constat : 1° cœli prodigiis; 2° terrestribus monstris; 3° imagine Jovi consecrata.

Sic primam aggressus est orator :

« Quanquam hæc omnia, Quirites, ita sunt a me

administrata, ut deorum immortalium nutu atque consilio et gesta et provisa esse videantur. Idque quum conjectura consequi possumus, quod vix videtur humani consilii tantarum rerum gubernatio esse potuisse; tum vero ita præsentes his temporibus opem et auxilium nobis tulerunt, ut eos pæne oculis videre possemus. Nam, ut illa omittam, visas nocturno tempore ab occidente faces, ardoremque cœli, ut fulminum ictus, ut hæc, quæ nunc fiunt, canere dii immortales viderentur, hoc certe, Quirites, quod sum dicturus, neque prætermittendum, neque relinquendum est. »

Nunc poetam audiamus :

Principio, ætherio flammatus Jupiter igni
Vertitur, et totum collustrat lumine mundum,
Menteque divina cœlum terrasque petessit :
Quæ penitus sensus hominum vitasque retentat,
Ætheris æterni septa atque inclusa cavernis.
Et, si stellarum motus cursusque vagantes
Nosse velis, quæ sint signorum in sede locatæ,
(Quæ verbo et falsis Græcorum vocibus errant,
Revera certo lapsu spatioque feruntur,)
Omnia jam cernes divina mente notata.
Nam primum astrorum volucres, te consule, motus
Concursusque graves stellarum ardore micantes,
Tu quoque, quum tumulos Albano in monte nivales
Lustrasti, et læto mactasti lacte Latinas,
Vidisti, et claro tremulos ardore cometas.
Multaque misceri nocturna strage putasti :
Quod ferme dirum in tempus cecidere Latinæ,
Quum claram speciem concreto lumine luna

Abdidit, et subito stellanti nocte perempta est.
Quid vero Phœbi fax, tristis nuntia belli,
Quæ magnum ad columen flammato ardore volabat,
Præcipites cœli partes obitusque petessens;
Aut quum, terribili percussus fulmine, civis
Luce serenanti vitaï lumina liquit,
Aut quum se gravido tremefecit corpore tellus?

Hi versus, ut videmus, oratoris verba tantum amplificant. Quis autem, ut universa primum amplectamur, adstrictiorem illum componendi modum huic laxiori et hianti non antetulerit? Oratoris propositum definit Cicero, scilicet omnia deorum consilio provisa fuisse : quod duplici ratione, conjectura et præsentibus prodigiis confirmatum arbitratur; hæc monstra breviter attingit, et quæ fiunt, jam deos cecinisse concludit. Hæc ut inter se firmissimo vinculo cohærent, ita facili cursu feruntur, simplici et nobili verborum complexione fluunt, quæ consulis majestatem et religiosam mentis fidem spirare videtur.

In eodem argumento poeta quam dissimili se more gerit! Verborum circuitu gravis et intricatus anhelat. Nihil ponit quod nitido tenore et ordine continens apto, clausula felici desinat. Sit in exemplo prima periodus, quam omnium sine controversia judices optimam. Absolutis sane numeris circumscribitur, si tantum auribus fidem adhibueris. Tres primi versus duobus ultimis concinne nituntur. At sensu numerorum concordia turbatur. Nam :

Ætheris æterni septa atque inclusa cavernis,

repenti clausula et frigida explicatione circuitum ducit et obruit.

Cætera non aliter ægre connectuntur et hiantia trahuntur. Passim occurrunt, ut diversæ coalescant sententiæ, hæc vulgaria et orationi solutæ similiora : « Et, si stellarum. — Nam primum astrorum ; » et in eodem circuitu : « Tu quoque, quum tumulos; — quum claram speciem ; — quid vero Phœbi fax ; — aut quum terribili ; — aut quum se gravido. »

His pleraque respondere neminem fugit. Poesi sermo merus ubique præstat. Quod si enim verbis pingere certat orator :

Et claro tremulos ardore cometas.

Quum claram speciem concreto lumine luna
Abdidit, et subito stellanti nocte perempta est ;

sæpius etiam infra solutam orationem decidit :

Menteque divina cœlum terrasque petessit :
Quæ penitus sensus hominum vitasque retentat.

Nosse velis, quæ sint signorum in sede locatæ.

Præcipites cœli partes obitusque petessens.

Hoc autem, quod dicturus sum, neque prætermittendum, neque relinquendum est. Apud oratorem nihil frequentius obversatur, quam ita duobus fere similibus sententiam explicari : quod quidem, ubi verbis conjungendis impenditur cura subtilis, nescio quid elegans et magnificum sermoni largitur. Sed apud poetam verbis tantum non rebus turgere et re-

dundare videtur oratio. Materia superat opus, quum aliam adaugendæ sententiæ rationem et exornandi versus cultum nusquam adhibere Cicero nitatur. Decem primos excutias :

> Principio, ætherio flammatus Jupiter igni
> Vertitur, et totum collustrat lumine mundum,
> Menteque divina cœlum terrasque petessit :
> Quæ penitus sensus hominum vitasque retentat,
> Ætheris æterni septa atque inclusa cavernis.
> Et, si stellarum motus cursusque vagantes
> Nosse velis, quæ sint signorum in sede locatæ,
> (Quæ verbo et falsis Græcorum vocibus errant,
> Revera certo lapsu spatioque feruntur),
> Omnia jam cernes divina mente notata.

Quæ quidem specie luxuriant, revera sterili verborum affluentia gravescunt et ambitiosa pauperie laborant. Hoc vitio totam infici Ciceronis poesim, propriam saltem, cæteris perpensis, planius etiam nobis constabit. Nunc institutam comparationem repetimus. Jam e cœlo descendit orator; et, motibus terræ memoratis, ut hoc versu poeta :

> Aut quum se gravido tremefecit corpore tellus,

Humi jam adstitit. Insequitur :

« Nam profecto memoria tenetis, Cotta et Torquato consulibus, complures in Capitolio turres de cœlo esse percussas, quum et simulacra deorum depulsa sunt, et statuæ veterum hominum dejectæ, et legum æra liquefacta : tactus est etiam ille, qui hanc urbem condidit, Romulus; quem inauratum in Capitolio parvum

atque lactentem, uberibus lupinis inhiantem, fuisse meministis. Quo quidem tempore, quum haruspices ex tota Etruria convenissent, cædes atque incendia, et legum interitum, et bellum civile ac domesticum, et totius urbis atque imperii occasum appropinquare dixerunt, nisi dii immortales omni ratione placati, suo numine prope fata ipsa flexissent. »

Si minus intelligeretur, qua verborum magnificentia, quo numerorum apto et nobili pondere, quo denique motu et spiritu hæc omnia ferantur, illud jam poeta patefacit :

Jam vero variæ, nocturno tempore visæ,
Terribiles formæ bellum motusque monebant;
Multaque per terras vates oracla furenti
Pectore fundebant, tristes minitantia casus :
Atque ea, quæ lapsu tandem cecidere vetusto,
Hæc fore, perpetuis signis clarisque frequentans,
Ipse deum genitor cœlo terrisque canebat.
Nunc ea, Torquato quæ quondam et consule Cotta
Lydius ediderat tyrrhenæ gentis haruspex,
Omnia fixa tuus glomerans determinat annus.
Nam pater altisonans, stellanti nixus Olympo,
Ipse suos quondam tumulos ac templa petivit,
Et Capitolinis injecit sedibus ignes.
Tum species ex ære vetus generosaque Nattæ
Concidit, elapsæque vetusto numine leges :
Et divum simulacra peremit fulminis ardor.
Hic silvestris erat, romani nominis altrix,
Martia, quæ parvos Mavortis semine natos
Uberibus gravidis vitali rore rigabat;
Quæ tum cum pueris flammato fulminis ictu
Concidit, atque avulsa pedum vestigia liquit.

Ex his omnibus, quæ minus notatione digna sunt, et quæ significare satis est, extremam hanc periodum seponimus, quæ quidem fragmenti primæ simillima, eam colore poetico longe præstat. Hic autem versus inter cæteros eminet :

> Uberibus gravidis vitali rore rigabat.

Cujus imago duplex rem eleganter et expresse pingit. Quantum vero ab oratione soluta recedit! « Tactus est etiam ille, qui hanc urbem condidit, Romulus, quem inauratum in Capitolio parvum atque lactentem, uberibus lupinis inhiantem, fuisse meministis.» « Parvum atque lactentem » imaginis simplicitate circuitum elegantiorem : « vitali rore rigabat; » — « uberibus lupinis inhiantem » præsertim « uberibus gravidis » multo superat.

Constat igitur, in hac parte, Ciceronem poetam cum oratore nequaquam pingendi copia decertare. Paucis additis, utriusque comparationem absolvimus. Prosequitur poeta :

> Tum quis non, artis scripta ac monumenta volutans,
> Voces tristificas chartis promebat etruscis?
> Omnes civili generosa ab stirpe profectam
> Vitare ingentem cladem pestemque monebant;
> Vel legum exitium constanti voce ferebant,
> Templa deumque adeo flammis urbemque jubebant
> Eripere, et stragem horribilem cædemque vereri,
> Atque hæc fixa gravi fato ac fundata teneri,
> Ni post, excelsum ad columen formata decore,
> Sancta Jovis species claros spectaret in ortus :

Tum fore, ut occultos populus sanctusque senatus
Cernere conatus posset, si, sólis ad ortum
Conversa, inde patrum sedes populique videret.
Hæc tardata diu species multumque morata,
Consule te tandem celsa est in sede locata;
Atque una fixi ac signati temporis hora,
Jupiter excelsa clarabat sceptra columna;
Ac clades patriæ flamma ferroque parata,
Vocibus Allobrogum patribus populoque patebat...

Hic autem consisto, ne fastidium legenti moveam, ipse tædio fessus. Nec committam ut reliquam orationis partem cum istiusmodi versibus conferam. Indignaretur enim Cicero, et ipse vix Ennius, in deterrimis locis, talem æmulum sibi componi pateretur. Hic enim vitia scatent. Nulla verborum concinnitas, nulla modorum varietas et mollities, nullus imaginum splendor : omnia ponderosa, aspera, eodem tenore trahuntur, simili clausula cadunt. Ubique, velut in vado aut in angustiis æstuantem poetam deprehendis et doles; eadem semper pauperie luxuriat, et iisdem pannis misere gloriatur. Redundantia supplendis versibus verba semper geminat, et indigna farragine gravescit. Ubi vero primum sublimius aliquid conatur, tribus omnino verbis ad nauseam iteratis, et aures onerantibus utitur : ardor, clarus, flammatus. Hæc orationis lumina profert; his contentus acquiescit.

Nunc vero, si nobis placet iter retro vertere, et hanc ab exordio controversiam repetere, quid jam conclusione complecti potes? Propria Ciceronis car-

mina quum perpendere nobis institutum fuit, hoc primum proposuimus, ubique, dum poetam quærimus, oratorem hominemque sui studiosiorem occurrere, et hoc duplici vitio penitus apud Ciceronem et vim excogitandi inveniendique poeticam, ipsum et eloquium laborare et infici. Quod approbare conati, in iis carminibus quæ fingit ipse Cicero, dum personas animadvertimus, quot capita tot conciones invenimus. Quum autem illius quatuor in primis carmina reperiantur, duo scriptoris laudibus unice referta discrevimus. *Marium* etiam ab auctore non prorsus alienum ostendere liceret, quum et suum municipem, et suarum partium principem, et suæ spei ducem et privatum quemdam genium, laudibus heroa Tullius extolleret; dum contra susceptum de Cæsaris expeditione carmen, quum ad minus propria tandem respiceret, haud semel omissum, acriter instante Quinto, vix et repugnanter absolvit.

Quæ vero fuerit in Cicerone facultas inveniendi poetica, primum e dialogis petimus. Legentibus autem hic obversantur scena vix adumbrata, frigidior actio, exsangues personæ, oratorius sermo. Deinde carmen *De consulatu* perpendentes, vulgatissimum poematis consilium, Ciceronis partes immotas, inutiles, aut saltem aleæ plenas nos animadvertere dolemus. Quæ, sine dubio, parum Cicero curavit, dummodo politicum operis propositum assequeretur.

Eumdem inveniendi modum et causam in carmine *De temporibus suis* merito suspiceris. Hoc tantum Ciceroni perficere concessum fuit, ut suorum consiliorum

participes, et suam gerendæ reipublicæ rationem politicus orator jactitaret, et suas ærumnas fortasse lugeret. Excogitandi quoque vis, in tali re præsertim, seu poetæ superbia præceps, seu pudore quodam scriptoris refrenata, utrinque periclitatur. Altitudine ridiculum, abjectione fastidium offendit; nec satis utrumque Cicero cavit. Rebus aliquando poesis fastum exaggerat, verbis nonnunquam orationem infra solutam residit. Sunt enim qui poemati *De temporibus suis* adscribant : Cedant arma, etc. — O fortunatam, etc., et Jovem lilum a quo in concilium deorum advocetur, et Minervam quæ artes eum edoceat (1). Cui sententiæ suffragari non audemus. Poetam enim majore reverentia colimus, et alterum superesse videtur argumentum, ex quo Ciceronis in propriis carminibus consilium et scribendi modus intelligantur.

Desiderio tamen et pudore simul afficimur, quum de poetico Ciceronis ingenio summatim, indicta prope causa, sententiam ferre properamus. Tunc enim, ut nobis quidem videtur, apud Ciceronem poetæ mentem, judicium et eximias fortasse virtutes inspicere et æquius æstimare licitum fuisset, si vel *Marius*, vel ipsum de Cæsaris expeditione carmen integrum nobis obtigisset. Quum enim in *Mario* jam operis ipse pars præcipua non versetur, politicas vices et sui jactantiam aliquantum remittens, liberius exspatiari potuit, et ad Homerum suspicere et eloquio nobiliori grandescere. Sed « ad Cæsarem epos suave, » ut ipsius

(1) Nobbe. Ciceronis opera. Vol. 10, p. 443.

verbis utamur, omnino deperditum fuisse, aut e medio sublatum a poeta, mœstiore quidem animo ferimus. Quamvis enim repugnans, confectus curis et reipublicæ tempora miserans, illud adoriatur opus, insigni jam et alieno potitur argumento. Quem vero celebrandum heroa sumit? Cæsarem. Ipsa materia, simplex et una, summi imperatoris in Britannos expeditione circumscribitur. Quin imo poeta propositi novitate et magnificentia movetur et exardet : « Quos tu situs, exclamat, quas naturas rerum et locorum, quos mores, quas gentes, quas pugnas, quem vero ipsum imperatorem habes ! »

Carminis hic lineamenta et prope consilium patefiunt. Ad ignotas regiones classis instructa proficiscitur; novi formidolosique maris tempestatibus quassata, oram ab innumeris barbaris obsessam appellit. Anceps diu prœlium conseritur; cruentum littus imperator invadit, et pax romana Britannis imminet. Illud poema quidem in commentariis Cæsar imperatoria brevitate condidit. Utinam tamen Cicero quoque suum epos et sui ingenii poeticas laudes certiore forsan testimonio posteris tradidisset!

Quum vero nobis æstimantibus tota prope res in carmine *De consulatu* nunc sita sit, num ipsi, quod de superioribus poetis Cicero dixit, de Cicerone poeta possumus etiam asserere? Num, verbis deficientibus, vi saltem excelluit? Ad verum contraria propius accederent. Vidimus enim qua verborum audacia, quo splendore, qua nonnunquam elegantia nobiles illi Græcos æmulati fuerint. In eorum etiam reliquiis

infusus ardet animus, discerpta membra mens agitat, poeta spirat et vivit. Ciceronis contra propria poesis, quæ quidem ex intimo pectore fluit, et hominem totum exprimere solet, nervis deficitur, exsanguis anhelat, et exanimis plerumque jacet.

Caveamus tamen ne, dum Ennii vel Attii miramur ingenia, Ciceronis labori et studio nimium detrahamus. Equidem orator impetu poetico non sublime rapitur, non ingenito furore divinitus calescit. Quum autem, verba quibus utitur et linguam diligenter attendens, apud illum fingendi quoque versus rationem et modum candidus judex animadvertis, jam illa poesis, quam fastidiosus contemnere parabas, nova quadam specie legentem detinet, quin etiam admiratione nonnulla percellit. Illud obsoletum et agreste linguæ vetustioris, poesis sermonisque confusa et adhuc indigesta permistio, verborum pondus et tarditas, et græco more prava compositio, figurarum luxuries et ambitio, cæteraque superiorum vitia quæ repetere molestum sit, ubi tandem in hac Ciceronis oratione mollius exculta supersunt? Quod quum æquo jure perpenditur, nonne, pudore quodam, in laudem vituperia vertens, ingenium Tullii vereris? Ut enim illas sordes, illum squalorem, illud senium in mundam, nitidam et jam florentem poesis ubertatem educeret, quanto mentis acumine, qua diligentia, quo sudore non illi fuit opus? Nobis quidem et recte judicanti cuilibet hoc tantæ molis habendum est, ut, quum operi se juvenis et propemodum puer accinxerit Cicero, et studium ad senectutem usque perduxerit,

tota vix ætas ad gradum quo steterit assequendum satis fuisse videatur.

Quum versus præsertim heroicos, super aliam rubiginem, ita solutos et informes invenisset, ut Ennii, nedum Lucilii poesis, sine lege certa, sine numeris et modis aspera vagaretur, Virgilianæ jam artis præscius, luxuriantes et effrenos coercuit, ordine legitimo composuit, et disciplina concinnius adstrinxit. Alter ille labor, quo conditoris etiam cognomen vindicare potuisset, et locum inter poetas latinos non adeo gradui dissimilem, quo nostros inter Malherbe potitur, hæc circa pedes, metra, modos et vocum concordiam anxia jam sollicitudo, judicium ingenio proximum Ciceroni contigisse declarat. Quum igitur fecundum illum laborem, industriamque curam intuemur, multo minus spatium inter Virgilium et Ciceronem, quam inter Ciceronem et Ennium exstitisse confitemur. Quid enim adhuc desiderari potest, ut non imparem poesim nactum sit epos? Mollities quædam, major modorum varietas, accuratior etiam verborum delectus et adstrictior usus. Quo magis me Virgilii piget, nec multum abest, quin eum ingrati animi crimine persequar, utpote qui, auctoris hujuscemodi virtutibus et ipsis vitiis edoctus et præmonitus, non æquam illius meritis gratiam rependerit.

Hactenus de propria Ciceronis poesi. Satis enim ostendisse nobis videmur, quis heroici carminis auctor exstiterit, quum suo tantum afflatu fidens, viribus majorem et ingenio minus congruentem materiam

eligit. Perstat orator, nimium circa se sollicitus, in angustias incidit, et operis summa consilioque parum felix evadit. Ingenii nec impetu, nec ubertate, neque magnificentia cum superioribus poetis et Ennio præsertim contenderet, quos tamen ita politiore lingua, judicii severitate, versus heroici fingendi ratione præstitit, ut de poesi latina bene meritam quoque Ciceronis musam colere debeamus.

III.

GRÆCÆ POESIS IMITATOR ET INTERPRES CICERO.

Oratione soluta Cicero magis quam metris coercita poesim nonnunquam attingere videtur. Quod, loco proxime laudato, compositisque de consulatu versibus et orationis in Catilinam tertiæ fragmentis, dispicere jam licet; quod vero multis aut potius exemplis innumerabilibus confirmare nobis ita promptum foret, ut paulum absit quin sententiæ cuidam Ciceronis assentiamur, et eam leviter immutatam ad ipsum deflectamus et accommodemus: « Est enim, ait, finitimus oratori poeta, numeris adstrictior paulo, verborum autem licentia liberior, multis vero ornandi generibus socius et pæne par (1). » Quod vero propiores, ut nobis videtur, ita convertemus: est enim poetæ finitimus orator, minus numeris adstrictus, verborumque licentia modestior, multis vero ornandi generibus socius et pæne par. Hæc autem quum

(1) *De oratore*, l. 1, XVI.

de universo dicendi genere dici possint, de Cicerone vix ullus occurreret qui non eadem merito sentiret. Illius enim in concionibus aut dialogis ubique sermo poeticus luxuriat, omnia schematibus et figuris variantur, aut expressis imaginibus depicta nitent. Iis omnia numeris adstringuntur, ut nihil diffluat, nihil dissonet, nihil aurium judicio repugnet. Quæ vero narrandi lætior usquam ubertas! quæ describendi floridior amœnitas exstitit! De signis etiam dicens, quum in Verrem invehitur orator, quanta colorum suavitate locum poetis gratissimum, Ennam, expingit et exornat! Hic sane non oratoris fines egreditur, nec tantum evagatur quantum Ovidio vel Claudiano liceret; at in hoc et in hujuscemodi locis poetam spirare nemo non sponte fateretur.

Constat igitur Ciceronem solutis in verbis, magis quam in fingendis ultro poematis oratione poetica luxuriare. Cujus rei causam eamdemne putemus afferendam esse, quam de tam multis hodierni temporis scriptoribus? Sunt enim apud Gallos plurimi, quorum cuilibet occurrunt nomina, qui, quum solutam orationem poeticis coloribus non infeliciter exhilarent et efferant, vix ipsam aggressi poeticam, humi decolores obrepant; quia, sine dubio, subest utrique generi discrimen quoddam altum et fere dissociabilis natura, cui minus attendentes, dum in altero præcellunt, in altero vix aliis irridendi sui facultatem eripiunt.

Num igitur Ciceroni, quod illis, idem accidit, ita ut generum dissidio tantum illius in concionibus

præstantiam et in poematis humilitatem adscribas, et hoc modo disseras: quum prosam orationem scribere Cicero consueverit, et numeris effusius et libe rius exspatiari, vix adstrictiore modo coercetur, quum velut pedicis captus, ingravescit, anhelat, spiritu deficitur? Hæc autem conclusio claudicaret; metrorum enim usu non destitutus Cicero poesim aggreditur, quum puerili jam et juvenili exercitatione poeticum sermonem excoluerit, et in eo prospero sæpe versetur eventu.

Quæ vero sunt carmina Ciceronis, in quibus, ad orationem respiciens, eum se ipso non inferiorem inveneris? Jam ostendere conati sumus, proprios illius versus non posse de poetica virtute cum orationum magnificentia contendere. Quum autem certis Græcorum ingeniis immorans et studens, illos æmulatur, et ad aliorum imitationem aut translationem se accingit, illius oratio statim excitatur, calescit et assurgere videtur. Cujus discriminis una subest, ut jam diximus, causa, quæ verisimiliter afferatur. Quum orator et gloria tumens poeticam exercet Cicero, ingenii natura quo præcellit, et animi pervicacia, quæ minus cum poesi consentit, abreptus, poeticas virtutes, quibus quoque, sed minore gradu viget, in inferiorem necessario locum ablegat. Unde fit ut in eo facultas et inveniendi et excogitandi quasi restinguatur, oppressaque jaceat, et ipsa sermonis poetici vis hebetetur, et ejus flos exareat. Ubi vero primum oratorem et hominem sui amantiorem, argumenti necessitate quadam, exuere cogitur, et propria poeticæ consilia de-

serens, ad aliorum cogitationes et opera transmigrat, quæ modo jacebant et obruebantur, eas facultates, ut ita dicam, recreatas excitat; et in imitandis aut convertendis, quæ sola potest, res exornandi copia jam splendidior exuberat : afflatu quodam externo et animos recipere, et erigi et floridum etiam colorem ducere cœpit oratio.

Nos tamen non fallit alteram quoque causam occurrere, quæ, specie quidem prima, præsertim efficiat, ut propria carmina fingens, infra se ipsum poeta Cicero succidat. Quum enim patriæ rebus tractandis incumbit, materia prope nova, operisque instituendi consilio scribendi labor adaugetur, multiplicique cura et studio distrahitur auctor. Quibus se difficultatibus expedit interpres, qui circa verborum ornatus tantum sollicitus immoratur. Hanc vero Ciceronis excusationem nostri propositi subsidium arripimus. Interpreti poeta Cicero cedit : peritus igitur versuum artifex, non poeta nuncupandus est. Quis enim legitimo nomine poeta vocandus, aliena quam sua concinnius exornat, et externo quam intimo magis ingenio velut afflatus exardet? Dum interpres, quum illius frigeat circum præcordia sanguis, propria languidus effundit, alienis vero sententiis, coloribus et impetu raptus, sublimius quam sponte consuevit, effertur.

Nobis igitur approbatum fuerit et re confirmatum, in alienis multo præstantiorem quam in suis versari Ciceronem, jam sequitur illum e loco movendum esse, et infra poetam in medios et nobiles etiam versuum

artifices esse collocandum. Quem gradum ne flocci facias, memento qualem poesim acceperit Cicero et quantam Virgilio tradiderit. Hunc quamvis immemorem inter discipulos habere, multorum laudem poetarum longe superat.

Ciceronis imitationibus poeticis primum inhæremus. Nihil de poemate quodam incerto suspicari licet, quod ad aliud alii propositum referunt. Illud carmen silentio prætermittit Nobbe, quem recentiores sequuntur. Minus dubitandum est, quin auctorem græcum in *Pontio* secutus fuerit Cicero. Illud opus, versibus tetrametris conditum, in ea scripserat ætate, quæ parum inveniendi facultate viget. Puer adhuc hæc et alia multa, teste Plutarcho, profudit, et e græco verisimiliter exemplari delegit imitanda, quippe qui græcum Archiam discipulus audiret, et Æschylum Pindarumque argumenti duces, in *Pontio* præsertim, ut aiunt, sequi posset. Quod tamen Nobbe negat, Ciceronis opera, vol 10, p. 396.

Alcyones Ciceronis, quamvis græci non laudentur auctores, qui materiam illi tradiderint, non immerito forsan ad idem argumentorum vulgatissimum genus referres, quod exercendæ discipuli poeticæ facultati proponebat Archias, quod autem a suis popularibus poetis mutuabatur. Hujus poematis duo non integri quidem versus servantur :

Hanc genuit, claris delapsus ab astris,
Prævius auroræ solis noctisque satelles.

Tamelastis elegia, cujus unus superest versus :

Jam mare tyrrhenum longe penitusque palumbes
Relliquit.

obscuriore etiam titulo criticorum acumen præterit, qui tamen græcum nescio quid redolere videtur.

In *Joculari libello* quum suæ dicacitatis fortasse testimonia colligere voluerit, non Græcorum proxime vestigiis insistere potuit Cicero; genus tamen ab Archia magistro traditum, epigrammata scilicet, retinens, hoc saltem imitator etiam exstitit. Quanquam incertum est versibusne totus hic liber conscriptus fuerit. Plinius junior, l. 7, 4, Ciceronis epigramma quoddam in Tironem memorat:

Nam queritur quod fraude mala frustratus amantem.

Alterum in Varronem epigramma Ciceroni asseritur, cujus prima pars non Varronem lacessit, et secunda non Ciceronis est, ut recentiores suspicantur. In hoc enim consentiunt Meyer, *Anthologia latina*, Orellius et Nobbe.

Hæc *Jocularis libelli* vestigia permanent. Ciceronis *Limon* græcum rursus titulum præfert, et vulgarem, si C. Plinii Secundi præfationi credideris. Quum ex illo libro supersint quatuor in laudem Terentii versus, conjiciunt critici præconia præstantissimorum in eo virorum fuisse collata. Quod etiam Archiæ disciplinam in memoriam nobis revocaret. Hic illud fragmentum subjicimus:

Tu quoque, qui solus lecto sermone, Terenti,
Conversum expressumque latina voce Menandrum

In medio populi sedatis vocibus effers,
Quidquid come loquens, atque omnia dulcia dicens.

Quæ vero recensentur adhuc nostrum ad propositum hoc tantum pertinent, quod imitationem in Cicerone græcam significant. Sunt autem breviora quam ùt certa in iis testimonia poetici sermonis emineant. Ubi vero fusius explicatur Ciceronis imitatio, poeta nobis statim obversatur, aut saltem versuum felicior artifex emicat. Mirandum perpendamus *Marii* locum, quem imitans ipse Voltaire Ciceroni se non satis accessurum esse confidit. Jam Homeri vestigiis insistens Tullius, ut egregia pulchritudinis imagine conspecta, studio quodam inflammatur, motu novo rapitur, et, natis, ut ita dicam, alis, quas ingeniose Plato fingit, sublimius evolat. Totum hunc locum laudare liceat, quo magis comprobetur, quanto discrimine Ciceronem suis modo viribus nitentem imitator Cicero præcellat :

Nuntia fulva Jovis miranda visa figura.

Hic Jovis altisoni subito pinnata satelles,
Arboris e trunco serpentis saucia morsu,
Ipsa feris subigit transfigens unguibus anguem
Semianimem, et varia graviter cervice micantem,
Quem se intorquentem lanians rostroque cruentans,
Jam satiata animum, jam duros ulta dolores,
Abjicit efflantem et laceratum affligit in unda;
Seque obitu a solis nitidos convertit ad ortus.
Hanc ubi præpetibus pennis lapsuque volantem
Conspexit Marius, divini numinis augur,

Faustaque signa suæ laudis reditusque notavit :
Partibus intonuit cœli pater ipse sinistris ;
Sic aquilæ clarum firmavit Jupiter omen.

In his eo majore laude Cicero prosequendus est, quo sua mutuis plura miscuerit. Rem vero ipsam, non singula quæque fidus interpres attendit, quippe qui non ad idem propositum Homeri comparationem deflectat. Homerus aquilam inducit, *Iliad.*, XII, v. 200, quo terreat ostento Trojanos in muros et portas Græcorum irrumpentes. Serpentis igitur ferociæ favet, et illi præsertim expingendo studens, immanem proponit cruentumque draconem, quum vivus adhuc et micans, nec ultionis immemor, hostis pectus collo proximum reflexa cervice pungit. Aquila vero, doloribus cruciata, mediam in turbam illum abjicit et, edito clangore, ventis ocior evolat.

Quum autem Cicero dextrum Mario præbeat augurium, serpentem affligit, et plurimis tamen vividisque lineamentis expressum relinquit; sed ovantem aquilam amplectitur, quam dignis Homero coloribus exscribit. Quis enim hæc Ciceronis propria non miretur :

Jam satiata animum, jam duros ulta dolores.

Seque obitu a solis nitidos convertit ad ortus ?

Hoc volatu superbo triumphare videtur aquila. Hic motum sensumque et imaginem animadvertimus, quæ nec apud Homerum, nec apud Virgilium repe–

rias. Elegantiora quidem et concinnius expolita sunt hæc Æneidis, l. xi, 751 :

> Utque volans alte raptum quum fulva draconem
> Fert aquila, implicuitque pedes atque unguibus hæsit;
> Saucius at serpens sinuosa volumina versat,
> Adrectisque horret squamis et sibilat ore,
> Arduus insurgens. Illa haud minus urget obunco
> Luctantem rostro : simul æthera verberat alis.

Ciceronis tamen vim, impetum et colorem anteferimus. Quantum igitur imitatione se ipsum Cicero superet, jam animadversum est. Non alia nobis fortasse concludere licebit, si paulo accuratius iis quæ in latinum e græco convertit, attendamus.

Arati Phænomena et Prognostica a Cicerone conversa.

Arati *Phænomena* et *Prognostica* non sane pulcherrimis a Cicerone conversis annumeremus. Nostræ tamen sententiæ, ut opinamur, subsidii nonnihil afferunt. Quum autem his dijudicandis, quod nobis propositum sit, hoc in primis prosequamur, non dispiciemus quam operis summa felix græcus auctor evaserit, aut quo judicio convertendum illud Cicero susceperit. Nobis satis sit paucissima præmonere.

Phænomena, quæ longe *Prognosticis* anteferimus, cœlestem orbem poetice describunt. Exordium a Jove repetens, polum borealem Aratus primum attingit, Ursas deinde, Draconem, Engonasim, Coronam, aliaque signa recenset, donec ad Virginem gradatim des-

cendat. Ibi diutius immoratur, et poetæ tandem vices agens, diras hominibus imprecantem, priusquam in cœlum exsulet, Astræam inducit. Tum signa rursus ordine memorat, eorumque loca docet, poetico more nihil expingens, nisi fortasse variam siderum formam et lumen, et quo invicem studio vel metu proxima fugiant aut prosequantur.

Cæterum ibi nihil reperire est, quo possint excogitandi facultas animusque commoveri. Non simili ratione, credimus, *Metamorphoseon* auctor tale propositum absolvisset, nec Eudoxi sphæram exscribere satis habuisset. Aliter illi græculo visum aut concessum fuit. In *Prognosticis* inferius etiam subsidit Aratus. Quasi ventos, quin imo pluviam et nivem tanti prænoscere referret, imminentium imbrium undequaque signa colligit, et ad nauseam coacervat. Ab luna primum exordiens, solem, nubes, ventos, signum Phatnen, et gregatim aves, stellas, ranas, boves, porcas, oves, capellasque frigidus exsanguisque sciscitatur. Quæ nobis quidem derideculo forent, nisi præjudicatas hominum opiniones et errores cognoscere juvaret, et in illis veterum somniis, nostra, nec plebeculæ tantum, sæpius occurrerent.

Hujus auctoris Ciceronianam conversionem perpensuris, non jam nobis licet tota quæ supersunt fragmenta proferre. Paginis enim plus sedecim laudatis, paulo longius oratio nostra proveheretur. Eligenda vero curavimus quæ virtutes interpretis aut vitia maxime proderent. *Phænomena* primum revolvamus, et

his ut amplioribus immoremur; minora deinde *Prognosticorum* fragmenta tota referemus.

Locum sane difficilem, nominibusque propriis et minuta singulorum explicatione fere intractabilem sic exponit Cicero :

At propter lævum genus omni ex parte locatas,
Parvas Vergilias tenui cum luce videbis.
Hæ septem vulgo perhibentur more vetusto
Stellæ, cernuntur vero sex undique parvæ.
At non interiisse putari convenit unam;
Sed frustra temere a vulgo ratione sine ulla
Septem dicier, ut veteres statuere poetæ,
Æterno cunctas ævò qui nomine dignant:
Alcyone, Meropeque, Celæno, Taygeteque,
Electra, Steropeque, simul sanctissima Maia.
Hæ tenues parvo labentes lumine lucent;
At magnum nomen signi clarumque vocatur,
Propterea quod et æstatis primordia clarat,
Et post, hiberni præpandens temporis ortus,
Admonet, ut mandent mortales semina terris.

Tres primos Arati versus Cicero contrahit, et uno verbo « parvas » periphrasim reddit « nec vero spatiosus universas locus continet (1); » in reliquis fidus interpres. In tertio « septem » pro « septemgradæ » friget; « more vetusto » redundat, ut in quarto « sex undique parvæ. »

Sed frustra temere a vulgo ratione sine ulla,

Infelici redundantia, qua de consulatu carmen, iterum inficitur.

(1) Edit. Didot. *Phænom.*, pag. 5, vers. 254.

Ut veteres statuere poetæ,

Æterno.....

Intrudit in Aratea Cicero. Proximi septem, « Jove auctore » tantum omisso, feliciter evadunt. Unde fit ut, in loco inter pessimos electo, unus omnino malus versus occurrat. *Consulatus* vel optima legenti non ita prospere cedit.

Proximum iisdem virtutibus, multoque minoribus vitiis refertum, e *Phænomenis* locum excerpimus (1):

Ipse autem labens multis Equus ille tenetur
Piscibus. Huic cervix dextra mulcetur Aquari.
Serius hæc obitus terraï jussit Equi vis,
Quam, gelidum valido de pectore frigus anhelans,
Corpore semifero, magno Capricornus in orbe;
Quem quum perpetuo vestivit lumine Titan,
Brumali flectens contorquet tempore currum.
Hoc cave te ponto studeas committere mense;
Nam non longinquum spatium labere diurnum;
Non hiberna cito volvetur curriculo nox;
Humida non sese vestris aurora querelis
Ocius ostendet, clari prænuntia solis;
At validis æquor pulsabit viribus Auster:
Tum fixum tremulo quatietur frigore corpus.
Sed tamen anni jam labuntur tempore toto,
Nec cui signorum cedunt, neque flamina vitant,
Nec metuunt canos minitanti murmure fluctus.

In primo versu « multis, » quum sit apud auctorem « binis, » negligentius excidit. Tertius ægre sen-

(1) Nobbe, 289.

sum efficit ; nam Aquarium et Capricornum conferens Aratus, illum posteriorem oriri, hunc autem priorem vergere docet. Quæ tumidius quam adstrictius his duobus Cicero convertit :

Quam, gelidum, etc.

Cætera majore fide et elegantia, græco nec imparia fluunt. Tres etiam ultimos versus, extremum præsertim, admiratione prosequeremur, nisi poetæ græci tenera miseratio nos magis commoveret; cujus hæc verba sunt, ad exemplaris ordinem et absolutam similitudinem composita (1) :

Verumtamen
jam totum annum sub carinis mare
nigrescit : similes autem urinantibus mergis,
sæpius e navibus pontum circumspicientes
sedemus, ad littora conversi ; hæc vero procul
alluuntur ; modicum autem lignum mortem arcet.

In illis tribus versuum artificem, peritum quidem, agnoscimus ; in his autem sentimus poetam, cui colores excogitandi vis, et sensus teneros pietatemque sufficit animus.

Quum hic præsertim ea laudare studeamus, in quibus talia suppetant animadvertenda, Canem prætermittentes, in Argo proximam incidimus :

At Canis ad caudam serpens prælabitur Argo,
Conversam præ se portans cum lumine puppim :

(1) Edit. Didot, v. 294.

Non aliæ naves ut in alto pondere (1) proras
Ante solent rostro Neptunia prata secantes,
Sed conversa retro cœli se per loca portat.
Sicut, quum captant tutos contingere portus,
Obvertunt navem magno cum pondere nautæ,
Adversamque trahunt optata ad littora puppim,
Sic conversa vetus super æthera vertitur Argo,
Atque usque a prora ad celsum sine lumine malum,
A malo ad puppim cum lumine clara videtur;
Inde gubernaclum, disperso lumine fulgens,
Clari posteriora Canis vestigia condit.

Hic nonnulla notentur perperam iterata :

« Conversam præ se portans, etc. — Sed conversa retro portat, etc. — In alto pondere proras ; — magno cum pondere nautæ, etc. — Clara videtur, etc. — Clari posteriora, etc. »

Addita quædam :

« Neptunia prata secantes, etc. — Disperso lumine fulgens. »

Alia quidem impeditiora quam in græco, exempli gratia :

Non aliæ naves ut in alto, etc.

At, si græci flexa versatilisque mollities in supra laudatis requiratur, reputantibus tamen quam poesi adhuc rudi sit arduum hos navis motus exprimere, pleraque feliciter et expresse conversa nobis mirari libet, hæc in primis :

At Canis ad caudam serpens prælabitur Argo;

(1) Vulgo : *pondere* ; Orellius : *ponere*.

et magis etiam :

Sic conversa vetus super æthera vertitur Argo,
Atque usque a prora ad celsum sine lumine malum,
A malo ad puppim cum lumine clara videtur.

Eleganti nonnunquam et pressa semper oratione Ara describitur (1) :

Inde Napæ cernes propter fulgentis acumen
Aram, quam flatu permulcet spiritus Austri,
Exiguo superum quæ lumina tempore tranat;
Nam procul Arcturo est adversa parte locata.
Arcturo magnum spatio supra dedit orbem
Jupiter; hunc parvum inferiore in parte locavit.
Hæc tamen æterno invisens loca curriculo nox,
Signa dedit nautis, cuncti quæ noscere possent,
Commiserans hominum metuendos undique casus.
Nam quum fulgentem cernes sine nubibus atris
Aram, sub media cœli regione locatam,
A summa parte obscura caligine tectam,
Tum validis fugito devitans viribus Austrum.
Quem si prospiciens vitaveris, omnia caute
Armamenta locans, tuto labere per undas.
Sin gravis inciderit vehementi flamine ventus,
Perfringet celsos defixo robore malos :
Ut res nulla feras possit mulcere procellas,
Ni parte ex Aquilonis opacam pellere nubem
Cœperit et subitis auris diduxerit Ara.

Sex primi versus græco proximi accedunt; quum tamen apud Aratum neque Jupiter, neque nox curru

(1) Nobbe, 427. Aratus, 402.

loca tranans reperiantur. Ibi farrago quædam, nec magna fides. In duos, nec immerito forsan, quatuor græci versus contrahit Cicero, cum prosequitur :

Signa dedit nautis, etc.

Tres etiam inferiores Arateam luxuriem coercent, fidi quidem, at graves. In cæteris quamvis græco densior, facilis tamen Cicero et satis fidus obversatur. Arato quidem præstat in his duobus :

Quem si prospiciens vitaveris, omnia caute
Armamenta locans, tuto labere per undas,

quum sint in græco minus certa et definita :

Qui (nautæ) siquidem obsecuti fuerint certa significanti, et statim faciliaque omnia et recte ordinata reddant, illico levior est labor.

Hactenus fida tantum, pressa et elegantia pleraque laudavimus; nobili jam dignitate perspicua et afflatu poetico spirantia colligantur. Hæc enim cum Arati loco decertant, aut græcum etiam expresso colore devincunt (1) :

Hic sese infernis de partibus erigit Hydra,
Præcipiti lapsu flexo cum corpore serpens.
Hæc, caput atque oculos torquens ad terga Nepaï,
Conversoque sinu subiens inferna Leonis,
Centaurum leni contingit lubrica cauda.
In medioque sinu fulgens Cratera relucet.
Extremam nitens plumato corpore Corvus

(1) Nobbe, v. 458. Aratus, 443.

Rostro tundit, et hic Geminis est ille sub ipsis
Ante Canem, græco Procyon qui nomine fertur.

« Præcipiti lapsu, etc., » græcum « longissime volutatur » multo superat.

Caput atque oculos torquens ad terga Nepaï,

spirat, dum friget hoc Arateum « caput sub medium Cancrum pergit. » Vivit etiam :

Centaurum leni contingit lubrica cauda;

languescit autem « cauda porro pendet super ipso Centauro. » Nec minus hac lepida delector imagine :

Extremam nitens plumato corpore Corvus
Rostro tundit ;

dum frigidior Aratus : « Extremo autem insidet simulacrum Corvi, spiram mordenti simile. »

Cæterum non jam singulos versus singulis componendos arbitramur ; sed, quum interpretis fides satis emineat, illius universam modo dignitatem animadvertimus (1) :

Hæc sunt, quæ visens nocturno tempore signa,
Æternumque volens mundi prænoscere motum,
Legitimo cernes cœlum lustrantia cursu.
Nam quæ per bis sex signorum labier orbem
Quinque solent stellæ, simili ratione notari
Non possunt : quia, quæ faciunt vestigia cursu,
Non eodem semper spatio portata teruntur.

(1) Nobbe, 467. Aratus, 454.

Sic malunt errare vagæ per nubila cœli,
Atque suos vario motu metirier orbes.
Hæc faciunt magnos longinqui temporis annos,
Quum redeunt ad idem cœli sub tegmine signum :
Quare ego nunc nequeo totos (1) evolvere cursus.
Verum hæc, quæ semper certo volvuntur in orbe
Fixa simul, magnos edemus gentibus orbes.

Hæc sane nobili et adhuc insueto verborum circuitu feruntur. Nos magis tamen detinent et recreant, quæ vivo colore singula describunt, et rebus velut animam inspirare videntur. Quorum tres liceat etiam locos proferre, et his exemplis finem imponere (2) :

Zodiacum hunc Græci vocitant, nostrique Latini
Orbem signiferum perhibebunt nomine vero :
Nam gerit hic volvens bis sex ardentia signa.
Æstifer est pandens fervèntia sidera Cancer.
Hunc subter fulgens cedit vis torva Leonis,
Quem rutilo sequitur collucens corpore Virgo.
Exin projectæ claro cum lumine Chelæ ;
Ipsaque consequitur lucens vis magna Nepaï.
Inde Sagittipotens dextra flexum tenet arcum ;
Post hunc ore fero Capricornus vadere pergit ;
Humidus inde loci collucet Aquarius orbe.
Exin squamigeri serpentes ludere Pisces,
Quis comes est Aries, obscuro lumine labens,
Inflexoque genu projecto corpore Taurus,
Et Gemini clarum jactantes lucibus ignem.

(1) Orellius, *tortos*.
(2) Nobbe, 563. Aratus, 544.

Equidem has inter opes inops quoque Cicero videtur; in iisdem semper versatur, et tot lumina fumi nonnihil emittunt. At pleraque vero splendore nitent, Arateisque præsertim collata magnificentia quadam legentes perstringunt. Græcus enim sex versibus tantum duodecim signa congerit, et illa nullo discrimine varians, fastorum auctori quam poetæ similior occurrit.

Quinto fratri qui, quum epigrammata duo nobis tradidit, sale quidem attico respersa, tum ipse Zodiacum viginti versibus, non sine quadam orationis elegantia et florido colore descripsit, Ciceronem potius conferre liceret. Ille saltem lætis imaginibus materiam exornat, et Aratum longe, minus vero Tullium a tergo reliquit.

Ejusdem generis apud Ciceronem locum reperimus, agmine signorum quoque descripto (1) :

Non pauca e cœlo depellens signa, repente
Exoritur candens illustri lumine Virgo.
Cedit clara Fides Cyllenia, mergitur unda
Delphinus; simul obtegitur depulsa Sagitta,
Atque Avis ad summam caudam primasque recedit
Pinnas, et magnus pariter delabitur Amnis.
Hic Equus a capite et longa cervice latescit.
Longius exoritur jam claro corpore serpens,
Crateraque tenus lucet mortalibus Hydra.
Inde pedes Canis ostendit jam posteriores,
Et post ipse trahit claro cum lumine Puppim.
Insequitur labens per cœli lumina Navis,

(1) Nobbe, 625. Aratus, 596.

Et jamjam toto processit corpore Virgo;
Hæc medium ostendit radiato stipite malum.

Hæc primum universa summa fide conversa miramur. Nonnulla vero non Arateis tantum longe præstant, sed ab ipsis Virgilianis non adeo recedunt.

Obversantur enim in græco :

Lyra tum Cyllenia,
et Delphinus occidunt et fabrefacta Sagitta;
cum quibus Cygni priores pinnæ usque ad ipsam
caudam, et Fluvii extremitates occultantur.
Occidit item Equinum caput, occidit etiam collum.
Oritur vero Hydra amplius usque ad ipsum
craterem.

Nonne jam stupore quodam tenemur, quum ii versibus apud Ciceronem nobis occurrunt, qui balbutientem adhuc et rudem linguam sic expediant et molliant, ut Græcorum tot ingeniis expolitus sermo sine controversia devincatur?

Arateo loco pariter anteponendam Ciceronis narrationem arbitramur, qua noxam Orionis casusque docemur (1) :

Quum vero vis est vehemens exorta Nepaï,
Late fusa volat (in terras labitur unda,
Orionque metu perculsus conditur una.
Pace, hujus liceat caussam explicuisse timoris,
Virgo, tua : mihi quæso, veni placata, Diana.

(1) Nobbe, 666. Aratus, 634.

Hæc fama est hominum, hæc) per terras fama vagatur:
Ut quondam Orion manibus violasse Dianam
Dicitur, excelsis errans in collibus amens,
Quos tenet Ægæo defixa in gurgite Chius
Bacchica, quam viridi convestit tegmine vitis.
Ille feras vecors amenti corde necabat,
Œnopionis avens epulas ornare nitentes.
At vero, pedibus subito percussa Dianæ,
Insula discessit, disjectaque saxa revellens
Perculit, et cæcas lustravit luce lacunas;
E quibus ingenti exsistit cum corpore præ se
Scorpius infestus, præportans flebile acumen.
Hic valido cupide venantem perculit ictu,
Mortiferum in venas figens per vulnera virus:
Ille gravi moriens constravit corpore terram.
Quare quum magnis sese Nepa lucibus effert,
Orion fugiens commendat corpora terris.

Mitto fidem in tam multis satis perspectam. Orion vero et insula præsertim, quam tantum Aratus nominat, hic poetice describuntur.

Œnopionis avens, etc.,

elegantiore versu quam hoc Arateum rem depingit:

Venationis administrans illi gratiam Œnopioni.

Illis autem tribus vere mirandis:

At vero pedibus, etc.;

extremo præsertim:

Perculit, et cæcas lustravit luce lacunas,

hæc Arati conferre nos puderet :

> Illa autem (Diana) immisit ei statim feram aliam,
> ab insula refringens medios utrinque colles,
> scorpium.

Homerum ipsum, quum in Ditis domos subitum lumen infundit, jam Ciceroni componendum libenter arbitraremur.

In cæteris, dum cuncta Cicero magna vi et expresso colore profert et exornat, taliaque, ore Virgiliano, loquitur :

> Mortiferum in venas figens per vulnera virus;
> Ille gravi moriens constravit corpore terram.

Ille græculus in istiusmodi argutiis nugatur :

> Scorpium, qui quidem ipsum vulneravit et occidit gran-
> [dem
> major præcellens, quoniam Dianam læsit ipsam.

Jam antithetis juvenatus, « aliam feram feris, » quas cædebat Orion, opposuerat; hic « vulneravit et læsit » — « grandem et major » paria paribus conjungit et librat. Aratus enim patrii sermonis litterarumque græcarum jam vergentium dulcibus vitiis indulget, dum Cicero pubescentis et jam robusti viribus ingenii pollet, romanaque severitate poeticam sobrius prælibat.

Phænomena linquere non decet, nisi prius locum nuperrime repertum et ab Orellio laudatum protu-

lerimus. Suam quidem inventori fortunam gratulamur : in meliora tamen incidisset (1) !

Sed quum se medium cœli in regione locavit
Magnus Aquarius et vestivit lumine terras,
Tum pedibus simul et supera cervice jubata
Cedit Equus fugiens; at contra signipotens nox
Cauda Centaurum retinens, ad se rapit ipsa;
Nec potis est caput atque humeros abducere latos;
At vero serpentis Hydræ caligine cæca
Cervicem atque oculorum ardentia lumina vestit.
Hanc autem totam properant depellere Pisces.

Hic, nisi fidem in octo primis, non multas interpretis virtutes deprehenderis. At *Prognosticorum* duo, quæ majoris momenti supersunt, fragmenta *Phænomenis* subjiciemus :

Atque etiam ventos præmonstrat sæpe futuros
Inflatum mare, quum subito penitusque tumescit.
Saxaque cana salis niveo spumata liquore
Tristificas certant Neptuno reddere voces;
Aut densus stridor, quum celso a vertice montis
Ortus, adaugescit scopulorum sæpe repulsus.
Cana fulix itidem fugiens e gurgite ponti,
Nuntiat horribiles clamans instare procellas,
Haud modicos tremulo fundens e gutture cantus (2).

Talibus laudatis, nimis imparem Aratum Ciceroni jam non conferimus. Illa cum Virgilianis etiam de sonorum suavi et justa temperatione contenderent.

(1) Societ. Antiq. Lond. Edidit Ottleius, vol. 26, p. 212, 1836. — Arat. 693.

(2) Nobbe, v. 177. — Aratus, v. 177.

Jam vero quæ rerum magis expressa fieret imago, quam hujuscemodi versus :

Saxaque cana salis niveo spumata liquore, etc.?

aut :

Cana fulix, etc.
Haud modicos tremulo fundens e gutture cantus?

Alterum locum ob oculos proponimus (1) :

Vos quoque signa videtis, aquaï dulcis alumnæ,
Quum clamore paratis inanes fundere voces,
Absurdoque sono fontes et stagna cietis.
Sæpe etiam pertriste canit de pectore carmen,
Et matutinis acredula vocibus instat,
Vocibus instat, et assiduos jacit ore querelas,
Quum primum gelidos rores aurora remittit :
Fuscaque nonnunquam, cursans per littora, cornix
Demersit caput et fluctum cervice recepit;
Mollipedesque boves spectantes lumina cœli,
Naribus humiferum duxere ex aere succum.

Prioribus hæc proxime respondent, et Arato sane detrimenti nihil afferunt. Mutationem tamen quamdam in primis hujus loci versibus animadvertas. Græcus auctor, ut jam præmonuimus, ad teneros sensus pronior, sic ranularum miseretur :

Aut magis miseræ progenies, hydris esca,
indidem ex aqua patres coaxant ranularum.

(1) Nobbe, v. 216. — Aratus, v. 214.

Non ita lamentis indulget Cicero. Hic autem inprimis cum illo consentiamus; et magis dilectamur his : « Aquaï dulcis alumnæ, inanes cantus fundere paratis, absurdoque sono » quam hydrarum esca et ranularum patribus.

Quatuor versus qui apud Ciceronem subjiciuntur, satis confirmant, quod critici conjiciunt (1), *Prognosticorum* aliquam recensionem ab interprete jam annis provecto susceptam fuisse, eo tempore nimirum, quo *De consulatu* carmen et Uraniæ prognostica quoque minaretur. Hi enim quatuor unum græci versum, et quater eadem reddunt. Hoc Aratus : « Aut ululat mane solitaria acredula. » Interpres pro uno « ululat » et « canit carmen, » et « matutinis vocibus instat, vocibus instat » iterum, et « assiduas querelas » agglomerat. Hanc battologiam, qua forsan variæ Ciceronis mutationes significantur, duobus tantum servatis versibus, sic sanare liceret :

> Sæpe etiam pertriste canit de pectore carmen,
> Et matutinis acredula vocibus instat;

aut :

> Et matutinos exercet acredula cantus (2),
> Quum primum gelidos rores aurora remittit.

Quatuor ultimi versus apud Ciceronem eleganti quoque, sed magis pressa, qua vigere solet, oratione jam eminent.

(1) Cicero ad Atticum, l. 2, 1.
(2) Sic Isidorus apud Lindemann p. 406.

Quum autem his et talibus legendis immoror, mirari soleo quod Macrobius alia minore studio fortasse digna colligens, quatuor omnino locos affert, quibus Virgilium ab ipso Cicerone nonnulla mutuatum fuisse confirmet. Evincit equidem poetam in his versibus fingendis :

O fama ingens, ingentior armis,
Vir trojane.

Proximus huic, longo sed proximus intervallo,

dialogos, *Catonem* et *Brutum*, memoria tenuisse; et Ciceronis quoque vestigiis insistentem, duo verba : « umbracula, vexasse, » in sensum quemdam peculiarem deflexisse. Utinam vero Macrobius e Tullii carminibus obvia quædam deprompsisset, quæ, cum Virgilianis collata, vatis utriusque laudem amplificare potuissent, aut saltem servata rem Ciceronis poeticam adornare, et nostris quamdam, licet minorem, desideriis medelam afferre !

Quum in multis aliis, tum in *Phænomenis* et in *Prognosticis* præsertim, Virgilius, eumdem auctorem manu versans, acri certamine Ciceronem æmularetur fere necesse fuit. Qua contentione quid magis ad latinæ poesis studium interfuisset ! Nunc planius nostros ante oculos obversaretur, quo sublimioris ingenii afflatu jam florida Tullianæ musæ pubertas maturiores tandem fructus effuderit. Macrobii tamen vices, quamvis in minutis, supplere nobis liceat.

Ciceronis æmulus, Arati quoque *Prognosticis* stu-

dens, hæc in *Chorographia* serius descripsit Atacinus Varro :

> Tum liceat pelagi volucres tardæque paludis
> Cernere inexpleto studio certare lavandi,
> Et velut insolitum pennis infundere rorem;
> Aut arguta lacus circumvolitavit hirundo,
> Et bos suspiciens cœlum, mirabile visu!
> Naribus aerium patulis decerpsit odorem.
> Nec tenuis formica cavis non evehit ova.

Quæ leviter immutata, vel integra sui juris Virgilius simpliciter et libere fecit, in Georgicis, l. 1, v. 375 :

> Aut bucula cœlum
> Suspiciens, patulis captavit naribus auras;
> Aut arguta lacus circumvolitavit hirundo;
> Et veterem in limo ranæ cecinere querelam.
> Sæpius et tectis penetralibus extulit ova
> Angustum formica terens iter.

> Jam varias pelagi volucres, et quæ Asia circum
> Dulcibus in stagnis rimantur prata Caystri,
> Certatim largos humeris infundere rores,
> Nunc caput objectare fretis, nunc currere in undas,
> Et studio incassum videas certare lavandi.

Talibus ob oculos propositis, patet quo progressu variisque incrementis ad auream Maronis ætatem poesis latina pervenerit. Jam Atacinus Varro Ciceronis musam excolit, et Georgicis etiam plurima commodat. Quis vero crederet nihil apud ipsum Ci–

ceronem occurrisse quod sibi vindicare Virgilio placuerit? Forsan a Varrone hæc etiam mutuatus fuerat :

> Continuo, ventis surgentibus, aut freta ponti
> Incipiunt agitata tumescere.

Viam autem ei præmunierat Cicero :

> Atque etiam ventos præmonstrat sæpe futuros
> Inflatum mare, quum subito penitusque tumescit.

Eadem etiam, qua Tullius, imitandi ratione Virgilius uti videtur. Ille verbis iteratis sonos expingere contendit :

> Acredula vocibus instat,
> Vocibus instat.

Hic de cornice :

> Pluviam vocat improba voce.

Manifestius autem ab interprete nonnulla mutuatur. Quum Cicero prius :

> Et magnus pariter delabitur Amnis.

> Flexo cum corpore serpens.

> Et matutinos exercet acredula cantus, etc.,

vicissim Virgilius :

> Maximus hic flexu sinuoso elabitur Anguis.

> Nequidquam seros exercet noctua cantus.

At in *Æneidis* sexto num imitatoris nomine tantum tibi vocandus est, cum ipse :

Et lumine vestit
Purpureo (640);

et in *Phænomenis* Cicero :

Atque Aram tenui caligans vestiet umbra.

Hæc sol æterno convestit lumine lustrans.

Quem quum perpetuo vestivit lumine Titan ?

Dives igitur est Cicero, ut quædam ipsi Virgilio commodare possit. In cæteris etiam, quæ supra laudavimus, quantum poeticæ jam artificium nos admiratione detinet! Quod si cum auctore contulerimus interpretem, nonnulla, sine dubio, vitia Cicero confiteretur; pluribus autem laudibus efferendus esset. Arati quædam contrahit, alia producit et amplificat, et gravi farragine sua nonnunquam carmina supplet, aut etiam græci sensum conturbat. Sæpe vero non auctori suo sermone poetico decedit; magis etiam aliquando pressus, et, quod in hujus ætatis romano mireris, græco jam elegantior exstitit. Arato quidem in teneris quibusdam aut mollioribus inferior, excogitandi quodam impetu et singula quæque pingendi facultate, suum exemplar longe præstat. Jacentem græcum suscitat, et vivo spiritu velut emortuum recreat; unde fit ut, si non ipsa lingua vel invitus superaret Aratus, impar ex omni parte Ciceroni concederet.

Non ignoramus quidem verbis adhuc antiquis poeticum Ciceronis stylum horrere, quæ posterius Vir-

gilii Horatiique musa politior e carminibus exturbavit. Perstant etiam locutiones, quibus ne soluta quidem oratio pepercit. Leges hexametri, cæsuræ certus et multiplex modus, numerorum varietas et concinna sonorum temperatio nec usu, nec experientia tunc sancita valent et celebrantur. Eloquii ratio, sermoni similior, laxioribus numeris solvitur et hiat; verborum structura gravior intexitur; e plebe nescio quid arreptum hæc oratio sapit, cui nondum nobilis lepos et patricia quædam dignitas obtigere.

Quæ non multo magis in Lucretio aut in Catullo perfecta reperias. Sui temporis poetico sermone Cicero tantum utitur, quem si non altius effert, non inferius demittit. Proprio tamen vitio laborat, quod ipse non satis effugere nititur Aratus. Heroici carminis grave pondus rigidamque dignitatem variat, et summa ingenii solertia Virgilius inflectit, multisque modis ductilem, ut ita dicam, versum circumagit. Hanc mollitiem et quasi latinæ poesis mobilitatem vix Cicero suspicatur. Illius singula binave carmina cadunt, nec, aliorum in alia rejecta parte quadam et intermixta, continua series ita conjungitur, ut omnium solida fiat et indestructa moles; et si sensus illæsus foret, mutari loco et in vicinam migrare sedem illius versus facile possent. Plerumque tandem eodem tenore feruntur, eademque clausula pares desinunt. Durior etiam aliquando, sonis asperior, vocum exitu simili fatigat aures Ciceronis oratio. Sed universa consideranti perspicuæ jam sermonis poetici virtutes in *Phænomenis* et in *Prognosticis* obversantur; quas

ne iterum revolvamus, hoc attendere satis est, sic in illis non semel eminere Ciceronem, ut auctori græco nec ignobili sese nunc parem, nunc etiam eo præstantiorem ostendat.

Quod si vero, nunc ad propositum respicientes, Uraniæ prognostica conversis *Phænomenis* et *Prognosticis* conferimus, nonne jam nobis licet susceptæ controversiæ conclusionem ita præsumere : si quid e Græcis Cicero convertit, auctorem proxime sequitur, aut antecellit; quum autem proprio confidit ingenio, ipse sibimet impar, infra oratorem in eodem argumento poeta subsidit?

Hæc mihi litem dirimere videntur; nec opus est, ut opinamur, singula singulis componere, et iterum probare, in Uraniæ vaticinio plurima poesis vitia scatere, quum in Arateis a Cicerone conversis nobilissimæ sæpe virtutes emineant. Quibus ita confirmatis, vix animadvertere necesse est, quantum his convertendis versus heroicos excoluerit et perfecerit Cicero. Quum enim in carmine *De consulatu* Lucilio et Ennio jam tanto præcelluerit, quanto magis eosdem præstitit, quum ad altiorem ipse gradum evectus est! At, expolito sic hexametro, quum de universa poesi latina Cicero bene meritus sit, nonne dignus quoque fuit, cujus in Georgicis Virgilius meminisset? *Phænomenis* enim et *Prognosticis*, utili exemplo et nobili disciplina, ipse poesis latinæ princeps, ut suspicamur, nonnihil erudiri potuit.

Interpres Homeri Cicero.

Multi sunt alii poetæ vel latini vel græci, quorum apud Ciceronem fragmenta conversosve locos reperire est. In omnibus ejus libris qui ad philosophiam moralem aut ad rhetoricam pertinent, laudati versus occurrunt, quorum majore copia *De finibus bonorum et malorum* et *De divinatione* controversiæ, *Tusculanæ*que *disputationes* referciuntur. Quænam igitur ratio succurrit, qua possimus propria Ciceronis et aliena dignoscere? Rem accurate versantibus, hæc nobis via consilii cæteris tutior visa fuit. Quum nullum auctoris nomen dramaticorum aut aliorum fragmenta præferunt, nobis significare Cicero videtur, hæc apud Romanos adeo notescere, ut ipsa laudare sufficiat. Ubi vero latina præscribuntur nomina, multo minus etiam de possessione litigares. Accidit autem ut auctorem græcum simpliciter et aperte Cicero declaret. Tunc illum interpretem deprehendimus. Cur enim, nisi converteret, peregrinum poetam ipso nomine laudaret, et illum, cujus latinis verbis uteretur, laude merita defraudaret? Homerum et Euripidem tum eadem ratione profert, qua, non jam dubius interpres, exemplaria græca nominatim et auctores appellat. Fit enim aliquando, ut in latinum ultro se græca convertere profiteatur. Tunc rei manifesta fides. Alias subobscure quidem, conferenti tamen locos et tacitam confessionem attendenti satis aperte patet interpres.

Hæc igitur fragmenta propria Ciceronis esse confidimus, quorum ipso nomine græcos auctores laudat, quæ se convertere profitetur, et quæ, nomine scriptoris omisso, opere ipso collatisque locis manifesto produntur. Hæc tantum consideranda seponimus. Quum autem ad varii generis fragmenta hæc controversia pertineat, illam statim litem universam resolvere non properamus. Sed unicuique generum ad illud attinens disceptatio nobis conjungenda videtur.

Nobis igitur sit ab Homero principium, quem Æschylus, Sophocles, Euripides, minoresque alii sequentur. Sic enim temporum ordinem non conturbamus, et inde perspicere licebit, utrum Cicero, postquam Arati conversionem emisisset adolescens, annis maturior in excolenda poesi profecerit.

Non ita pridem inter criticos incertum erat, aut potius vix quærebatur, utrum quosdam vere locos e græcis auctoribus latino carmine Cicero convertisset. Recentius, adjuvante Nobbe, plurima colligens Orellius, quæ ex Homeri carminibus Cicero transtulisset, nonnulla tamen omisit. Pretium est igitur operæ testimonia proferre, quibus sua jure Cicero jam vindicavit, et nova repetit.

Jam Livius Andronicus *Odysseam* converterat. Nihilominus ex ea quæ laudat, incude nova Cicero diffingit. Hæc duo tantum adhuc reperta sunt :

1° Tales sunt hominum mentes, qualis pater ipse
Jupiter auctiferas lustravit lampade terras (1);

(1) Ap. Aug. *de Civ. d.*, l. 5, c. 8. *Odyss.* 18, 136.

et illud alterum, de quo sic ipse Cicero præmonet : « Nam verti, ut quædam Homeri, sic istum ipsum locum :

2° O decus argolicum, quin puppim flectis, Ulyxe,
Auribus ut nostros possis agnoscere cantus?
Nam nemo hæc unquam est transvectus cærula cursu,
Quin prius adstiterit vocum dulcedine captus ;
Post, variis avido satiatus pectore musis,
Doctior ad patrias lapsus pervenerit oras.
Nos grave certamen belli, clademque tenemus,
Græcia quam Trojæ divino numine vexit,
Omniaque e latis rerum vestigia terris (1).

In illis duobus, quos primum retulimus :

Tales sunt, etc.

nihil sane, Ciceroni quod laudi vertas, animadverti potest. Imitatorem enim parum diligentem sensus etiam effugit, quum Ulysses Amphinomum alloquens asserat « tales hominum esse mentes quales ipse pater illas quoque die ducat. »

Sed in illo Sirenum carmine, quid jam requiras ? Nonne Virgilianum pæne locum absolutis numeris tenemus? Equidem in *Marii* fragmento splendidior inest rebus color, et verbis acrior vis et impetus. Hic autem, mira quadam varietate, molliter omnia fluunt, ut suavem fallacique dulcedine temperatam Sirenum vocem intelligamus.

Ex *Iliade* conversa nunc aggredientes, quem Cice-

(1) *De finibus bon.*, l. 5, 18.

roniana dignoscendi modum supra definire studebamus, eo jam utimur.

Hanc duplicem auctoris laudandi rationem discernamus. Attius Homeri jam *Agamemnona* in scenam traduxit. Laudans igitur Homerum, sed Attianis verbis, auctorem ab interprete Cicero non sejungit : « Hinc, ait, Agamemno Homericus et idem Attianus :

Scindens dolore identidem intonsam comam (1). »

Quum autem interpres, Attius aut quivis alius, deficit, græcum auctorem Cicero tantum appellat : « Ut ait Homerus de Bellerophonte :

Qui miser in campis mœrens errabat Aleis,
Ipse suum cor edens, hominum vestigia vitans (2). »

Non aliter, aut expressius etiam, se convertere significat his verbis : « Quæ apud Homerum Achilles queritur, hoc, ut opinor, modo :

Corque meum penitus turgescit tristibus iris,
Quum decore atque omni me orbatum laude recordor (3); »

aut in secundo *De divinatione* : « At Homericus Ajax, apud Achillem querens de ferocitate Trojanorum nescio quid, hoc modo nuntiat :

Prospera Jupiter his dextris fulgoribus edit (4). »

(1) *Tuscul.*, 3, 26.
(2) *Ibid.*, 3, 26. *Iliad.*, 6, 200.
(3) *Ibid.*, 3, 9. *Iliad.*, 9, 646.
(4) *De div.*, 2, 39.

Nomen etiam Homeri reperitur in hoc loco : « Vidisse se..... feminam quæ se nomine appellans, diceret Homericum quemdam ejusmodi versum :

Tertia te Phthiæ tempestas læta locabit (1). »

Non absimili ratione Ciceronem in his quatuor interpretem arbitramur, quod ita præfatur : « Ut apud Homerum quotidianæ neces interitusque multorum sedationem mœrendi afferunt, apud quem ita dicitur :

Namque nimis multos, atque omni luce cadentes
Cernimus, ut nemo possit mœrore vacare,
Quo magis est æquum tumulis mandare peremptos
Firmo animo, et luctum lacrimis finire diurnis (2). »

Hic incerta criticorum judicia nobis nonnullam admirationem injiciunt. Orellius et Nobbe, quæ retulimus, duo prima tantum Ciceroni adscribunt et fragmentis intermiscent. Qua auctoritate freti, nisi Ciceronis ipsius, qui non interpretem, sed ipsum Homerum inducit? Cur autem eodem testimonio fidentes, non pari qua Wernsdorf audacia procedunt? Hic sibi constantior, summo jure et judicio, omnia quæ memoravimus, propria Ciceronis agnoscit. Cui sententiæ suffragatum, illius tamen me piget, qui non, Aulo Gellio teste, rem Ciceronis poeticam magis etiam ampliaverit. Hæc enim Homerica sunt et eadem Ciceroniana :

(1) *De divin.*, 1, 25. Ex. *Iliade*, 9, 363.
(2) *Tuscul.*, l. 3, 27. *Il.*, 19, 226.

Hic situs est vitæ jam pridem lumina linquens,
Qui quondam Hectoreo perculsus concidit ense;
Fabitur hæc aliquis: mea semper gloria vivet (1)!

Quæ laudans Aulus Gellius jure quidem animadvertit Hectoris hæc verba perperam ad Ajacem a Cicerone translata fuisse : nominis vix errore notando, quum alioqui sensus et fides, si minus os rotundum, ibi serventur.

Orationem adhuc in supra memoratis, alio respicientes, vix attendimus. At in tam paucis pauca dicenda sunt. Hic etiam epithetis aliquando diffluit versus, longiorave contrahit; sed in plerisque verbum verbo reddere Cicero curat, cum exemplaris vi et imaginibus, non ita felix, audens tamen decertat, et presse plurima convertit. Ab auctore monitus et coercitus, inani geminatorum verborum copiæ et sibi similioribus ornamentis diffidere jam discit. Quas orationis virtutes observare, ne dicam admirari, ut in ampliore loco, secundum de *divinatione* librum evolventi licebit. Hæc nos præmonet Cicero : « Nam illud mirarer, si crederem, quod apud Homerum dixisti ex passerum numero belli trojani annos auguratum : de cujus conjectura sic apud Homerum, ut nos otiosi convertimus, loquitur Agamemno :

Ferte viri, et duros animo tolerate labores,
Auguris ut nostri Calchantis fata queamus
Scire, ratosne habeant an vanos pectoris orsus.
Namque omnes memori portentum mente retractant,

(1) *Aulus Gellius*, l. 15, 26.

Qui non funestis liquerunt lumina fatis.
Argolicis primum ut vestita est classibus Aulis,
Quæ Priamo cladem et Trojæ pestemque ferebant;
Nos, circum latices gelidos, fumantibus aris,
Aurigeris divum placantes numina tauris,
Sub platano umbrifera, fons unde emanat aquaï,
Vidimus immani specie, tortuque draconem
Terribilem, Jovis ut pulsu penetrabat ab ara;
Qui platani in ramo foliorum tegmine septos
Corripuit pullos: quos quum consumeret octo,
Nona super tremulo genitrix clangore volabat:
Cui ferus immani laniavit viscera morsu.
Hunc, ubi tam teneros volucres matremque peremit,
Qui luci ediderat, genitor Saturnius idem
Abdidit, et duro firmavit tegmina saxo.
Nos autem timidi stantes, mirabile monstrum
Vidimus in mediis divum versarier aris.
Tum Calchas hæc est fidenti voce locutus:
Quidnam torpentes subito obstupuistis, Achivi?
Nobis hæc portenta deum dedit ipse creator,
Tarda et sera nimis, sed fama et laude perenni:
Nam quot aves tetro mactatas dente videtis,
Tot nos ad Trojam belli exanclabimus annos,
Quæ decimo cadet, et pœna satiabit Achivos.
Edidit hæc Calchas: quæ jam matura videtis (1). »

In illis equidem Cicero liberius immutat, iterata recidit, paulo lætiora quibus Græcorum uberius ingenium delectatur, aut negligens aut desperans omittit; illud autem simplex, molle, candidum, quo singulariter eminet, et legentes allicit et illaqueat Homerus, apud interpretem frustra requiras. Quibus

(1) *De divin.*, l. 2, 30. *Iliad.*, 2, 299.

delictis non indulgemus. Si vero memoriam Homeri graviorem removeris, et seorsum a Cicerone conversa legeris, in Calchantis prædictione facilitatem et elegantiam libens admirabere. Hæc omnia leviter et liquide fluunt; jam epicus sermo, quem perficiat Virgilius, natus est, et Æneidas minatur.

Antequam ad nidum expingendum accedat Cicero, haud iniquis passibus Homerum subsequitur. At hæc magis tenuia et Virgilii penicillo digniora sibi diffidens contrahit. Frustra quærimus hos in ramo sublimi, sub foliis trepidantes octo pullos.

Nona super tremulo genitrix clangore volabat,

elegans quidem est versus, quo tamen non hoc Homericum aut Virgilianum adumbratur: « Mater vero circumvolitabat lugens caros pullos. » — « At illa flet noctem. » Ubi tandem reperias illud: « Ille (serpens) circumvolutus ala corripit eam circum clamitantem. » Hæc apud Homerum significantibus verbis expressa vivunt et spirant, quibus impar Ciceronis oratio decedit. Reliqua vero, Calchantisque vaticinium rursus ad Homerum propius accedunt; dum ex universis facile perspici potest, quantum interpres Cicero se supra poetam Uraniæ discipulum extollat. Hic mole gravis, largus et inops, hians et repens, iisdem numeris tædium injicit; ille magis expeditus, divite vena splendidior, et Homerico raptus afflatu, jam alas sublimius explicat.

Æschyli, Sophoclis, Euripidis aliorumque minorum loci a Cicerone conversi.

In secundo *Tusculanarum* duo fragmenta magni in primis momenti, in hac saltem controversia, reperiuntur. Quæ statim et eorumdem auctorum alia minora laudare nonnihil expedit, quum ipsa quoque nobis sint argumento futura. Hoc primum e quodam Æschyli *Prometheo* conversum apud Ciceronem occurrit :

Titanum soboles, socia nostri sanguinis,
Generata cœlo, adspicite religatum asperis
Vinctumque saxis, navem ut, horrisono freto,
Noctem paventes, timidi adnectunt navitæ.
Saturnius me sic infixit Jupiter,
Jovisque numen Mulcibri adscivit manus.
Hos ille cuneos fabrica crudeli inserens
Perrupit artus; qua miser solertia
Transverberatus castrum hoc Furiarum incolo.
Jam tertio me quoque funesto die,
Tristi advolatu, aduncis lacerans unguibus,
Jovis satelles pastu dilaniat fero.
Tum, jecore opimo farta et satiata adfatim,
Clangorem fundit vastum, et sublime avolans
Pinnata cauda nostrum adulat sanguinem.
Quum vero adesum inflatu renovatum est jecur,
Tum rursus tetros avida se ad pastus refert.
Sic hunc custodem mœsti cruciatus alo,
Qui me perenni vivum fœdat miseria :
Namque, ut videtis, vinclis constrictus Jovis,
Arcere nequeo diram volucrem a pectore.

Sic me ipse viduus pestes excipio anxias,
Amore mortis terminum anquirens mali;
Sed longe a leto numine aspellor Jovis,
Atque hæc vetusta, seclis glomerata horridis,
Luctifera clades nostro infixa est corpori,
Ex quo liquatæ solis ardore excidunt
Guttæ, quæ saxa assidue instillant Caucasi (1).

Unde ignis cluet mortalibus clam
Divisus; eum dictus Prometheus
Clepsisse dolo, pœnasque Jovi
Fato expendisse supremo (2).

OCEANUS.

Atqui, Prometheu, te hoc tenere existimo,
Mederi posse rationem iracundiæ.

PROM.

Siquidem, qui tempestivam medicinam admovens,
Non ad gravescens vulnus illidat manus (3).

In secundo *Tusculanarum* libro subjacet Æschyli fragmento locus e Sophoclis *Trachiniis* expressus :

O multa dictu gravia, perpessu aspera,
Quæ corpore exantlavi atque animo pertuli!
Nec mihi Junonis terror implacabilis,
Nec tantum invexit tristis Eurystheus mali,
Quantum una vecors Oenei partu edita :
Hæc me irretivit veste furiali inscium,
Quæ lateri inhærens morsu lacerat viscera,
Urgensque graviter pulmonum haurit spiritus.
Jam decolorem sanguinem omnem exsorbuit :

(1) Cic. *Tus.*, 2, 10.
(2) Ibid., 2, 10.
(3) Ibid., 3, 31. Cf. Æschyl., *Prometh.*, v. 385.

Sic corpus clade horribili absumtum extabuit.
Ipse illigatus peste interimor textili.
Hos non hostilis dextra, non terra edita
Moles gigantum, non biformato impetu
Centaurus ictus corpori inflixit meo,
Non græca vis, non barbara ulla immanitas,
Non sæva terris gens relegata ultimis,
Quas peragrans, undique omnem hinc feritatem expuli;
Sed feminæ, vir, feminæ interimor manu.
O gnate, vere hoc nomen usurpa patri,
Nec me occidentem matris superet caritas.
Huc arripe ad me manibus abstractam piis!
Jam cernam, mene an illam potiorem putes.
Perge, aude, gnate! Illacrima patris pestibus!
Miserere : gentes nostras flebunt miserias.
Heu! virginalem me ore ploratum edere,
Quem vidit nemo ulli ingemiscentem malo!
Sic feminata virtus adflicta occidit?
Accede, gnate; adsiste; miserandum adspice,
Evisceratum corpus lacerati patris!
Videte, cuncti; tuque cœlestum sator,
Jace, obsecro, in me vim coruscam fulminis!
Nunc, nunc dolorum anxiferi torquent vortices;
Nunc serpit ardor. O ante victrices manus,
O pectora, o terga, o lacertorum tori,
Vestrone pressu quondam Nemeæus leo
Frendens efflavit graviter extremum halitum?
Hæc dextra Lernam tetram, mactata excetra,
Placavit? Hæc bicorporem adflixit manum?
Erymanthiam hæc vastificam abjecit belluam?
Hæc e Tartarea tenebrica abstractum plaga
Tricipitem eduxit hydra generatum canem?
Hæc interemit tortu multiplicabili
Draconem, auriferam obtutu observantem arborem?

Multa alia victrix nostra lustravit manus,
Nec quisquam e nostris spolia cepit laudibus (1).

Ab Æschylo disputationis initium nobis repetendum, et quam in sententiam, duce Bothe, critici quidam recentiores abierint proponendum esse videtur. Sic ille de versibus ex Æschylo conversis, non conjectura, sed affirmatione concludit : « Attii esse Nonius in *adulo*, et Priscianus convincunt. Etiam V. Gelu, Nonius : Attius, *Prometheo* : Tum profusus flamine hiberno gelus. — *Tum* non habetur apud Priscianum (2). »

At primum Prisciani et Nonii in eodem fragmento consensus nihil ad rem attinet. Hic enim versus :

Tum profusus flamine hiberno gelus,

in eo loco non occurrit de quo nunc ambigitur. *Promethei* tamen cujusdam auctorem Attium esse convincit, quod certe multum abest ut negemus. Quam vero fabulam e græco convertit? Fuit enim unius Æschyli triplex tragœdia nomine *Prometheus*. Quod si vero Sophocles etiam accedit *Promethei*, nescio quis, auctor, majore dubitatione pendentes hæremus. Fragmentis autem ipsis, quæ laudavimus, solum attendens, nec alia curans, in duos certe *Prometheos* incidis.

Quum « Titanum soboles, etc., » in Æschyli servato *Prometheo* non reperiatur, ad alium lemnium quemdam *Prometheum*, vel ignis raptorem, vel solutum

(1) Cicer. *Tuscul.*, l. 2, 8, 9.
(2) *Poetæ scenici Latinorum*, p. 239.

pertinere videtur. Aliud autem fragmentum in tertio, 31, *Tusculanarum* occurrens, *Constrictum* ita manifesto convertit, ut illius, verbis totidem, quatuor versus exprimat.

Sunt igitur duorum *Prometheorum* apud Ciceronem vestigia. Ambosne convertit Attius, aut alterum altero supplevit, et more Terentiano miscuit? At unum Attii *Prometheum* grammatici laudant; et si Sophoclis locum consideraveris et inde conjeceris, merum interpretem, non, ut ita dicam, variarum rerum ordinatorem deprehendes. Ergo non diversa composuit Attius, et duorum Æschyli fragmentorum Ciceroni jam unum contigit. Vetat autem Nonius Attium alterius quoque possessione dejici. Quid enim his verbis significantius : « Attius, *Prometheo*:

> **Tum sublime avolans**
> **Pinnata cauda nostrum adulat sanguinem (1)? »**

Tusculanarum igitur fragmentum, in quo saltem hæc obversantur, Attio jure concedendum est. Fortasse. Causa tamen nonnulla subest, cur litem dirimere non properemus.

Dijudicat Nonius : illius sententiam Arusianus Messus irritam facit. Ipse sub eodem verbo, *adulari* : « Adulant illum, Cicero in Pisonem, 41 ; idem *Tuscul.* 2, 10 : nostrum adulat sanguinem (2). »

Quum igitur illi duo de verbi ejusdem significatione

(1) Nonius, sub verbo : *adulatio.*

(2 Lindemann. Arusianus Messus, sub verb. *adulari.*

testimonium et auctoritatem appellant, unus Attium, alter Ciceronem laudat. Utrius in verba jurandum est? neutrius, quod quidem arbitremur; sed alio circumspicere, et alius arbitri consilium exposcere cogimur. Cur autem, in hac judicum inopia, Ciceronem ad ipsum, ut ad disceptatorem, non confugimus, et *Tusculanas* iterum revolvimus?

Quibus verbis præfatus primum illud « Titanum soboles, » Cicero profert? Illum audire nonnihil expedit: « Veniat Æschylus, non poeta solum, sed etiam Pythagoreus. Sic enim accepimus..... Quomodo fert apud eum Prometheus dolorem, quem excepit ob furtum lemnium?.... Has igitur pœnas pendens, affixus ad Caucasum, hæc dicit. »

Æschylum igitur ipsum, non interpretem alium quemdam Cicero significat. Quid autem ponderis huic argumento subesse possit, jam ex Homeri locis supra laudatis intelligimus. Illorum enim fragmentorum nullum, ab audentioribus paulatim criticis Ciceroni non adscriptum, invenimus. Hi vero qua fide freti jam consensere? nisi quod, quum silerent omnes, unus loqueretur Cicero, et, facta nullius interpretis mentione, ipsum auctorem, Homerum, ultro laudaret.

Quo magis etiam hoc argumento confideremus, non paululum effecit Priscianus de metris comicis disserens. Quum enim de fragmento *Tusculanarum* quodam ambigeremus, et solito tamen argumento nixi, repugnante Bothe, illud Ciceronis jure vindicaremus, occurrit nobis Priscianus consilii certioris auctor: « Cicero quoque, ait, in quarto *Tusculana-*

rum Euripidis iambos transferens, in locis paribus tam dactylos quam spondeos sæpe ponit :

« Neque tam terribilis, etc. (1). »

In hoc autem loco græcum auctorem ipsum non oblique laudat his verbis : « Itaque non sine causa, quum Orestem fabulam doceret Euripides, primos tres versus revocasse dicitur Socrates :

« Neque tam terribilis ulla fando oratio est, etc. (2). »

Quod si igitur hoc argumento niti possumus, certioribus aliis destituti, nonne locum in controversiam adductum, ipso Cicerone præmonente, jam in Ciceroniana transferre licet?

Verbis autem quæ subjicit Æschyli fragmento, nunc attendamus, unde majus etiam, ut nobis quidem videtur, controversiæ lumen accedat. Sic auditor : « Interea, unde isti versus? Non enim agnosco. — Marcus : Dicam hercle. Etenim recte requiris. Videsne abundare me otio? — Auditor : Quid tum? — Marcus : Fuisti sæpe, credo, cum Athenis esses, in scholis philosophorum. — Auditor : Vero ac libenter quidem. — Marcus : Animadvertebas igitur, etsi tum nemo erat admodum copiosus, verumtamen versus ab his admisceri orationi. — Auditor : Ac multos quidem a Dionysio stoico. — Marcus : Probe dicis; sed is quasi dictata, nullo delectu, nulla

(1) Putsch : *Priscianus*, l. 1.
(2) *Tus.*, l. 4, 29.

elegantia. Philo noster et proprium numerum et lecta poemata et loco adjungebat. Itaque, postquam adamavi hanc quasi senilem declamationem, studiose equidem utor nostris poetis; sed, sicubi illi defecerunt, verti ipse multa de Græcis, ne quo ornamento in hoc genere disputationis careret latina oratio (1). »

Quæ sic argumento breviore concludemus : hos versus non agnoscis, et auctorem a me requiris. Probe. Ego vero studiose nostris poetis utor ; sed, sicubi illi defecerunt, verti ipse multa de Græcis.

Quod si autem quærentibus de libri cujusdam auctore tale nobis responsum daretur, ne minima quidem hæsuros dubitatione nos ultro confitemur.

Quum igitur laudatos versus non agnoscat auditor, ii vix Attii jam esse possunt, nisi forte stolidum dialogi actorem sibi Cicero fingat. Illum autem nec insipientem, nec litterarum inducit imperitum. Auditor enim fuit sæpe, quum Athenis esset, in scholis philosophorum. Quum autem alia laudat Cicero, et ipsum Attii carmen, uno versu et medio altero recitatis, consistit dicens : « Nosti quæ sequuntur (2). » Doctus est igitur auditor et ipsa novit Attii carmina. Fingine vero potest hæc Attii, illa autem minime noscens? Prorsus ridiculum esset. Ergo totum Attium tenere debet. Nunc tamen a Cicerone laudata, quæ feruntur ambo Attii fragmenta, se non agnoscere fatetur. Hæc igitur Attii non esse possunt. Fac tamen

(1) *Tuscul.*, l. 2, 11.
(2) *Ibid.*, l. 4, 36.

ignarum auditorem esse. Illum interrogantem inducere Cicero debet, ut illum doceat, nedum illi mentiatur. Ita vero respondet, ut necessario credat auditor, quum Attii nomen sileatur, Ciceronis imitationem esse, qui, sicubi cæteri poetæ defecerunt, se de Græcis multa vertisse profiteatur.

Non committemus tamen ut suspicemur ea mente rem in dubium adductam fuisse, ut Cicero turpi furto quæ forent Attii sibi vindicaret. Quod alioqui nullo prorsus modo fieri potuisset. Auditor enim ille Romæ totius vices agit, quam edocet Cicero, et in qua Varrones eruditissimi versantur. Quantum igitur illius pudorem decebat, sibi tamen optime transferenti conscius, se auctorem Cicero professus est. Carpens enim Dionysii stoici quasi dictata, nullo delectu, nulla elegantia, sibi merito plaudere videtur.

Itaque Ciceroni magis quam Nonio de *Promethei* loco fidere licet. Adhuc vero de Æschylo tantum res agitur. Nihil ad Sophoclis fragmentum in hac disputatione pertinet. Illud jam, et minus aliud primum aggredimur.

Hunc versum inter Herculis Attiani fragmenta Bothe laudans :

Recte perfectis sacris volt accipi (1),

adjicit : « Scal : fabulam Varro non indicavit; sed Scal : Ex Attii, inquit, *Trachiniis* videtur acceptum. »

Potest etiam, quod nemo videtur adhuc animad-

(1) *Poetæ scenici*, p. 247.

vertisse, hæc doctissimi viri dubitatio Nonii testimonio confirmari; hic enim sub verbo : exanclare, laudat Cicer. *Acad.*, l. 3, et *Tuscul.*, l. 1; minime vero *Tuscul.*, l. 2, 8.

Nos vero Scaligeri suspicionem, et gravius Nonii silentium, auctoritate certa refellimus : « Decolorem pro sine colore, ait Charisius; Cicero : *Tusculanarum* secundo, quum Herculem daret ingemiscentem (1). »

Auctorem igitur Ciceronem, non Attium de verbo « decolorem » Charisius protulit; et reipsa in loco *Tuscul.* laudato reperire est :

Jam decolorem sanguinem omnem exsorbuit.

Lis ergo jam nulla pendere videtur. Notula vero Lindemann interfatur : « *Quum Herculem daret ingemiscentem* » in edd or. male sic scripta sunt, quasi Ciceronis essent; cæterum pro *daret* sine dubio scribendum *diceret*; et pro *ingemiscentem* in codd est *ingemescentem*. »

Quod hic pertinet ad lineam verbis male subductam, et ad ingemiscentem pro « ingemescentem, » nostra minime refert. Mutandum autem *daret* in *diceret*, quod critico placuit, nos quidem non concedimus. Nonius enim sub verbo *dare* : « Dare, ait, *ostendere*. »

His licet minutis immoramur, ne, quod afferimus Charisii testimonium, verbis omnibus non intactum et integrum permaneat.

(1) Lindemann, v. 4. *Charisius*, l. 2, § 19, p. 117.

Quum igitur nulla nobis afferatur auctoritas, qua locum e Sophocle conversum Ciceroni possimus eripere, quærimus utrum Scaligeri suspicio Charisii affirmationem præstare et infringere valeat.

Jam vero quum a conjectantibus de *Promethei* loco dictum sit, ex Nonii verbis alterius quoque fragmenti fontem agnosci, nonne pariter nobis concludere licet : Charisius non solum Sophoclis, sed etiam Æschyli locum Ciceronis imitationem esse convincit?

Criticorum testimoniis allatis, ut in *Prometheo*, sic in *Trachiniis* Ciceronis quoque subsidio nitimur. Nullum interpretem ille, sed ipsum Sophoclem appellat, his verbis : « Sed videamus Herculem ipsum, qui tum dolore frangebatur, quum immortalitatem ipsa morte quærebat. Quas hic voces apud Sophoclem in *Trachiniis* edit! »

Ad hoc argumentum confirmandum ea quoque valent, quæ post laudata Cicero subjicit. Cur enim, præter suam consuetudinem, critico velut excursu sermonem philosophicum abrumpit, et suam agendi rationem approbare nititur, si quoddam Attianum notissimumque, suo more, tantum protulerit?

Nobis quidem, omnia quæ congessimus adhuc argumenta, ut auctor utriusque fragmenti reperiretur, nonnullius ponderis esse videntur. Ultimum vero, quod inter pleraque critici negligunt, præmissis etiam auxilii non nihil afferre potest. Illud autem e fragmentorum oratione repetimus.

Summum ingenium in Attio fuisse et pæne divinum omnes consentiunt : « Decimus quidem Brutus,

ait Cicero, Attii carminibus templorum ac monumentorum aditus exornavit suorum (1). » Vitruvius, ut Ennii, sic Attii fere dedicatum in suo pectore simulacrum tenet (2). Sed in eo, si non sanguis, lima desideratur (3). Venosus, apud Persium (4), siccus et durus, in dialogo de oratoribus (5), situ verborum squalens a Seneca vocatur, ep., 58. Omnia denique vitia, quæ, de veterum poetarum lingua disserentes, antea recensuimus, in illius reliquiis passim occurrunt. Eligantur enim e pulcherrimis Attii fragmentis duo, quibus pateat ad quem poesis gradum provehi possit, et unde judicetur an illa quæ nunc agitamus, auctor emiserit.

Quum jam quieti corpus nocturno impetu
Dedi, sopore placans artus languidos,
Visust in somnis pastor ad me adpellere
Pecus lanigerum eximia pulchritudine,
Duo consanguineos arietes inde eligi,
Præclarioremque alterum involare me;
Deinde ejus germanum cornibus connitier
In me arietare, eoque ictu me ad casum dari;
Exin prostratum terra, graviter saucium,
Resupinum in cœlo contueri maximum ac
Mirificum facinus, dextrorsum orbem flammeum
Radiatum solis liquier cursu novo (6).

(1) *Pro Archia*, 11.
(2) Vitruv. *De Architec.*, 9, 3.
(3) Velleius Paterculus, 2, 9.
(4) Satire 1, v. 76.
(5) *Dialog. de Orat.*, c. 21.
(6) Bothe. *Brutus*, 191.

De hoc Tarquinii somnio quum interrogarentur, augures respondere :

Rex, quæ in vita usurpant homines, cogitant, curant, vi-
[dent,
Quæque agunt vigilantes, agitantque, ea si cui in somno
[accidunt,
Minu' mirum est; sed in re tanta haud temere improvisa
[offerunt.
Proin vide, ne, quum te (1) esse hebetem deputes æque
[ac pecus,
Is sapientia munitum pectus egregie gerat,
Teque regno expellat : nam id, quod de sole ostentum est
[tibi,
Populo commutationem rerum portendit fore
Perpropinquam. Hæc bene verruncent populo! nam quod
[ad dexteram
Cepit cursum ab læva signum præpotens, pulcherrime
Anguratum est, rem Romanam publicam summam fore.

Fatemur equidem hæc latine, plane et aperte scribi. Quum autem in istis poeticæ virtutis aliquid inquiratur, in merum et graviorem etiam sermonem incidimus. In nonnullis quoque vetustioris linguæ supersunt indicia. Hoc autem obsoletum et humile cum illa priorum fragmentorum nobili et adhuc re centi dignitate componamus.

Voces primum, quas apud Sophoclem in *Trachiniis* Hercules edit, relegens, duas in partes hunc locum dividas; quarum altera ex his verbis :

O multa dictu gravia, etc.

(1) *Te*, sic Bothe; *quem tu*, sine dubio.

ad hæc usque :

Accede, gnate, adsiste, etc.

græci vestigiis insistens, summa vi et fide, et elegantia quadam, verba fere verbis reddere conatur. Si vero reputent cum Sophocle Ciceronem colluctari, nemo est qui non illum feliciter audentem in hoc loco miretur. Concedimus autem in altera parte abscidi plurima, contrahi quædam et omnia debilitari, quamvis tamen et hic nonnulla remaneant quæ poetam quoque spirare videantur.

Secundum quem laudavimus locum, non jam exemplari græco conferre licet, quum *soluti Promethei* paucissimæ surpersint reliquiæ, inter quas illa desideratur, quæ nobis necessaria foret. At ipsa Ciceronis interpretatio vel Æschyli deperditum fragmentum supplere potest, et vix fateri dubitemus, in imitatione latina spiritum, animos et audaciam tragici veteris aliquatenus excitari et ardere.

Illic, sine dubio, doctiora Virgilii carmina requiramus, quorum vividis coloribus, variisque numeris et expressis imaginibus res ipsa nobis ante oculos proponitur. Hanc poesim vere picturam habemus. Quibus fortasse laudibus inferior enitet Ciceronis imitatio; at verborum vi et pondere, et ipso duriore lineamento non alienum hoc horrendo spectaculo colorem induxit. Itaque, ut ad epica, sic aptus ad tragica versus a Cicerone nobilius excudi videtur;

Et docuit magnumque loqui nitique cothurno.

Multum igitur abest ut Attium, quamvis animosum et altum, ad hanc laudem evasisse concedamus. Apud illum singula reperiri possunt, quæ miro quodam decore splendeant, et Ciceronem etiam exsuperent; ut autem illud poesis jam maturum robur et sibi constantem et æquam sermonis dignitatem obtineret nequaquam illi contigit.

Nunc igitur e cunctis, quæ quidem collegerimus testimonia, quid constare videtur? Perspecta grammaticorum fide, perpensa Ciceronis ipsius auctoritate, illius tandem et Attii oratione collata, nobis saltem manifestum est fragmentorum interpretem non jam ambiguum esse. De Sophoclis loco præsertim dubitantem Scaligerum Charisius affirmans refellit. Equidem inter Nonium et Arusianum Messum, Æschyli locum æstimantes, hæremus. Quum autem Attii et Ciceronis poeticam conferimus orationem, dubitatione minus æstuamus. Illi fragmento :

« Titanum soboles, etc. »

hoc in *Tusculanis* proximum componamus :

Unde ignis cluet mortalibus clam
Divisus; eum dictus Prometheus
Clepsisse dolo, pœnasque Jovi
Fato expendisse supremo.

Illud horridum, Ciceronis enim verbis uti licet, Attianum sane sermonem redolere minime negaremus; sed a vicino fragmento quantum abhorret! Istas quidem voces vetustiori *Prometheo* quum libenter

adscriberemus, e duobus alterum arbitraremur : vel Attius *Prometheum* quemdam lemnium excudit, quem strictim Cicero memorat, vel illum *solutum*, cui Cicero diligentius attendit.

Ut illud primum nobis placeat, præmissa fragmento Ciceronis verba nonnihil efficiunt, quæ rursus proferre liceat : « Veniat *Æschylus*, non poeta solum, sed etiam Pythagoreus. Sic enim accepimus. Quo modo fert *apud eum* Prometheus dolorem, quem excipit ob furtum lemnium ?

Unde ignis cluet, etc.

pœnasque Jovi
Fato expendisse supremo.

Has igitur pœnas pendens, affixus ad Caucasum, hæc dicit :

« Titatum soboles, etc. »

Verba quibus lineam subduximus, nostro quidem judicio, quod approbare supra conamur, e græco conversum a Cicerone locum demonstrant. Hæc vero : « Quem excipit ob furtum lemnium :

Unde ignis cluet, etc. »

lemnium quemdam Attii fortasse *Prometheum*, ignis raptorem, oratione præsertim significant. At proxima : « Has igitur pœnas pendens, affixus ad Caucasum, hæc dicit, » rursus ad priorem pertinere possunt. Unde duos *Prometheos* suspicari libet, quos Nonius ita

permiscuerit ut, in *Tusculanis* certum Attii fragmentum reperiens, alterum etiam eidem indiligenti festinatione tribuerit.

Si vero *solutum Prometheum* Attius edidit, talem enim in fragmento versari hæc præcipue verba demonstrant :

« Atque hæc vetusta, sæclis glomerata horridis, etc. »

locum tamen suo jure Cicero vindicat, quippe qui ab Attio conversionem acceptam ita commutaverit et expolierit, ut priorem interpretem non agnoscas. Aut potius, quo more in Livio Andronico, eodem et in Attio Ciceronem se gerere crediderimus : Livius Odysseam ex Homero conversam reliquit; ipsum tamen Homerum aggressus, Cicero nihil mutuatur, sed ipse suo fundit ingenio :

« O decus argolicum, etc. »

Licet igitur, teste Nonio, *Prometheum* Æschyli *solutum* convertisset Attius, minime dubitaremus quin fragmentum in *Tusculanis* laudatum Cicero transtulerit.

Hanc autem controversiam resumens, et ad propositum denique revertens, quid inde sequi jure contendas? nisi ut, quum auctoris utriusque supra compositam orationem meminerimus, manifestius etiam constet, Ciceronem in aliorum convertendis sibimet ipsum multo præcellere. Quod fusius explicare tædium afferret, et per se satis enitere videtur. Quod autem

jam præstrinximus, hoc iterum animadvertendum est, ut debita laude Ciceronem omnino prosequamur, auctorem scilicet illum fuisse nobilissimum, quem recentiores dramatici sequerentur, et iambum sermoni propiorem ad tragicam dignitatem maturius eveherent.

Euripidis aliorumque minorum loci a Cicerone conversi.

Nondum satis de fragmentis convenit, quæ sive ex Euripide sive ex aliis minoribus Cicero converterit; quum alia quædam ut Ciceronis agnoscant grammatici, alia temere inter dubia reponant et ablegent. Multum igitur interest singula quæque statim dignoscere et simul æstimare, priusquam omnia judicio complectamur.

In iis primum immoramur, quæ recentiorum testimonia vindicanti Ciceroni jam addicunt. Qua vero ratione in hanc opinionem consensum fuerit indicandum nobis videtur, ut eadem cætera quoque niti, quæ rejiciuntur, manifesto pateat.

Recipit Bothe in Ciceronis propria, quæ subjiciuntur omnino septem :

> Nam si violandum est jus, regnandi gratia
> Violandum est; aliis rebus pietatem colas (1).

Criticus enim ipsius testimonio Ciceronis non obluctari potuit : « Ipse autem socer, ait Cicero, in

(1) *De officiis*, l. 3, 21. Cf. Suet. *J. Cæsar*. *Phœn*. Eurip., 527.

ore semper græcos versus de *Phœnissis* habebat, quos dicam, ut potero, incondite fortasse, sed tamen, ut res possit intelligi. » Res autem non tantum intelligitur, sed ipsi non impar Euripidi Cicero contendit.

Theseus :

Nam qui hæc audita a docto meminissem viro,
Futuras mecum commentabar miserias :
Aut mortem acerbam, aut exsili mœstam fugam,
Aut aliquam semper molem meditabar mali :
Ut, si qua invecta diritas casu foret,
Ne me imparatum cura laceraret repens (1).

Hic etiam confitentem interpretem tenemus : « Itaque, ait, apud Euripidem a Theseo dicta laudantur. Licet enim, ut sæpe facimus, in latinum illa convertere (2). » Græca quæ servantur, concinniora quidem et molliora fluunt, sed fidum quoque et pressum exemplarisque figuris attentum interpretem demonstrant.

Mortalis nemo est, quem non attingat dolor
Morbusque; multi sunt humandi liberi,
Rursum creandi; morsque est finita omnibus,
Quæ generi humano angorem nequidquam afferunt.
Reddenda est terræ terra; tum vita omnibus
Metenda, ut fruges : sic jubet necessitas (3).

Jam Cicero non confitetur. Euripidem tantum

(1) Cf. Boissonade. Apospas : *Theseus.*, frag. 3.
(2) *Tuscul.*, 3, 14.
(3) Cf. Boissonade. Apospasm : *Hypsipyle.*, frag. 5.

laudat, et ea mentione, ut videtur, Bothe contentus est. Sic interpres : « Quocirca Carneades, ut video nostrum scribere Antiochum, reprehendere Chrysippum solebat, laudantem Euripideum carmen illud (1). » In quo transferendo, Ciceroni non tam feliciter quam in superiore cessit. Octo versus in sex contrahit, et tamen omnia producit, gravis, impeditus et repens, vix in duobus satis fidus : Reddenda est, etc. ; — metenda, ut fruges.

Si mihi nunc tristis primum illuxisset dies,
Nec tam ærumnoso navigassem salo,
Esset dolendi causa ; ut injecto equulei
Freno repente tactu exagitantur novo,
Sed jam subactus miseriis obtorpui (2).

Laudata se convertere Cicero significat, his tantum verbis : « Ut ille apud Euripidem. » Nos vero et adhuc Bothe, auctoris græci nomine laudato, satis intelligimus ; et privatim Ciceroni vim, fidem et elegantiam gratulamur. Ut sæpe, non impar ab Euripide discedit.

Vides sublime fusum, immoderatum æthera,
Qui tenero terram circumjectu amplectitur ?
Hunc summum habeto divum, hunc perhibeto Jovem (3).

Ut supra, Cicero tantum auctorem laudat ; « Eu-

(1) *Tuscul.*, 3, 25.
(2) *Ibid.*, l. 3, 28. Cf. Boissonade, *incerta dramata*, 140.
(3) Cicero, *de natura deorum*, l. 2, 25. Cf. Boiss. *incerta dram.* 4.

ripides autem, ait, ut multa præclare, sic hoc breviter. » Cæterum summa fide græcum transtulit.

> Juravi lingua, mentem injuratam gero (1).

Sic interpres : « Scite enim Euripides. » Feliciter et ipse Cicero.

> Bene qui conjiciet, vatem hunc perhibeto optimum (2).

Nullum auctorem appellat Cicero : « Est quidam, ait, græcus vulgaris in hanc sententiam versus. » Quem presse convertit.

Illa tantum in propria Ciceronis Bothe recipit, et plura nemo, quem quidem noverim, admisit. Hic tamen vir egregius, eadem ratione qua priora, potuit alia quædam probare et agnoscere. Cur enim inter incerta deturbat hæc notissima :

> Neque tam terribilis ulla fando oratio est,
> Nec fors, nec ira cœlitum invectum malum,
> Quod non natura humana patiendo ferat (3) ?

Nonne laudat Euripidem Cicero, quum dicit : « Itaque non sine causa, quum Orestem fabulam doceret Euripides, primos tres versus revocasse dicitur Socrates ? » Cæterum, laudato Prisciano, locum a Cicerone conversum fuisse jam confirmavimus. In quo fortasse non Euripidis ore rotundo loquitur interpres;

(1) *De officiis*, 3, 29.
(2) Cicero, *De divinat.*, 2, 5. Cf. Boisson., *incerta dram.* Eurip., 105.
(3) Cf. Boisson., *Orestes.*, vers. 1.

quamvis autem verbis impeditior sententiam evolvat, pressa et exacta græcum exemplar oratione reddit.

Incertis etiam hæc inserit Bothe :

Nam nos decebat, cœtu celebrantes domum,
Lugere, ubi esset aliquis in lucem editus,
Humanæ vitæ varia reputantes mala ;
At, qui labores morte finisset graves,
Omnes amicos laude et lætitia exsequi (1) ;

quæ sibi Cicero vindicat his verbis : « Qua est sententia in *Cresphonte* usus Euripides. » Locum igitur quum jam Ennio Bothe tribuisset, eumdem incertis immerito permiscet. Nam Ciceroni damni nonnihil affert. Quod si enim supra laudati versus numeros et elegantiam Euripidis desiderant, et secundus tertiusque languidi nervis carent, quum sit in græco :

Decet nascentem lugere in tot miserias intrantem,

fidus tamen interpres et satis concinnus in cæteris haberi Cicero potest.

Tertium aliud omittitur fragmentum, cui certe Ciceronis nomen præscribendum est : « Vulgo enim dicitur, inquit interpres, « jucundi acti labores ; » nec male Euripides. Concludam, si potero, latine, græcum enim hunc versum nostis omnes :

Suavis laborum est præteritorum memoria (2).

(1) *Tuscul.*, 1, 48. Cf. Boisson. Apospas. *Cresphontes.*, frag. 4.
(2) *De finibus bonor.*, l. 2, 32.

Euripidis apud Ciceronem non alia reperimus. Minorum igitur aliorum a Cicerone conversa fragmenta subjiciantur.

Hoc primum nobis occurrit :

> Emori nolo : sed me esse mortuum nihil æstimo.

Operæ quidem pretium est verbis attendere, quæ Cicero præponit : « Sed tu mihi videris Epicharmi, acuti, nec insulsi hominis, ut siculi, sententiam sequi. — Auditor : Quam ? non enim novi. — Marcus : Dicam enim, si potero, latine. Scis enim me græce loqui in latino sermone non plus solere, quam in græco latine (1). »

Unde colligis primum Epicharmi Ciceronem hic interpretem esse, et aliquando fieri, ut auditor, quamvis ipse non imperitus, a Cicerone de auctoribus admoneatur ; eumdemque hic esse sermonem atque in celeberrimis Sophoclis et Æschyli fragmentis. Cæterum si ad versum Epicharmi respexeris, conversi fidem laudaveris (2).

Ciceroni quoque tribuendos arbitramur « versiculos Terinæo Elysio datos (3) » :

> Ignaris homines in vita mentibus errant.
> Euthynous potitur, fatorum munere, leto ;
> Sic fuit utilius finiri ipsique tibique.

Interpres enim ita præfatur : « Simile quiddam est

(1) *Tuscul.*, l. 1, 8.
(2) Cf. Sextus Empiricus, *Adversus Mathem.*, p. 54.
(3) *Tuscul.*, 1, 48.

in *consolatione* Crantoris. Ait enim Terinæum quemdam Elysium, quum graviter filii mortem mœreret, venisse in psychomantium quærentem quæ fuisset tantæ calamitatis causa; huic in tabellis tres hujusmodi versiculos datos. »

Quum autem Crantorem laudet Cicero, nec verisimile nobis videatur, apud auctorem latinum conversa, occurrisse statim omnia, quibus indigeret, eum interpretem agnoscimus, pressum quidem et græco facillime parem (1).

Sardanapali epitaphium eamdem manum significat, his præmissis : « Ex quo Sardanapali, opulentissimi Syriæ regis, error agnoscitur, qui incidi jussit in busto (2) » :

Hæc habeo quæ edi, quæque exsaturata libido
Hausit : at illa jacent multa et præclara relicta.

In quibus, si forsan elegantiam, sensum saltem et vim exemplaris non requiras.

Hæc Solonis nemo Ciceroni tradidisse videtur, quum ipse dixerit : « At vero ille sapiens (3). »

Mors mea ne careat lacrymis : linquamus amicis
Mœrorem, ut celebrent funera cum gemitu.

Exacta sane et fida quæ græcis nihil invideant.

Præmisso nomine Simonidis, jam laudanda satis

(1) Cf. Plut. *Cons. ad. Apol.*, p. 109.

(2) Græca, quum apud multos, tum apud Strabonem occurrunt, l. 14.

(3) *Tuscul.*, l. 1, 49. Cf. Plut. t. 1, p. 109.

discernas : « Pari animo Lacedæmonii in Thermopylis occiderunt, in quos Simonides (1) :

> Dic, hospes, Spartæ, nos te hic vidisse jacentes,
> Dum sanctis patriæ legibus obsequimur;

quæ nobiliore vix ingenio Simonides expressit.

Quibusdam vero Ciceronis signum, ut ita dicam, sic manifestum non inhæret, huic versui videlicet : « Ut Epaminondas (2) : »

> Consiliis nostris laus est attonsa Laconum;

quo primus epigrammatis græci versus feliciter exprimitur.

De hoc similiter dubitandum est (3) :

> Quam quisque norit artem, in hac se exerceat;

dignus quidem iambus et auctore græco et Ciceronis elegantia.

De proximis quoque nihil affirmares (4) :

> Neque enim lætabitur unquam, nec mœrebit nimis,
> Qui semper in se ipso omnem spem reponet sui.

Usurpatum enim a Cicerone metrum in his non reperimus, neque certum quem secutus fuerit auctorem.

Licet etiam pendeas incertus, quum in istud incidis (5) :

(1) *Tuscul.*, l. 1, 42. Cf. Herod., l. 7, c. 228.
(2) *Ibid.*, l. 5, 17. Cf. Plut., t. 2, p. 1098.
(3) *Ibid.*, l. 1, 18. Cf. Aristoph. in *Vespis*, 1422.
(4) *Ibid.*, l. 5. 12.
(5) *Ibid.*, *De divin.*, l. 2, 13.

Quod 'st ante pedes nemo spectat : cœli scrutatur plagas.

Quamvis enim Democritum ita Cicero laudet : « Democritus tamen non inscite nugatur, ut physicus, » versus specie apud Ciceronem insolita et duritie conturbaris.

Rursus confideres, ita præmonente Cicerone : « Hoc idem significat græcus ille in eam sententiam versus (1) :

Quod fore paratum est, id summum exsuperat Jovem.

Magis etiam interpretem in hoc suspicamur (2) :

Vitam regit fortuna, non sapientia ;

quum a Cicerone non obscurius admoneamur : « Vexatur idem Theophrastus in libris et scholis omnium philosophorum, quod in *Callisthene* suo laudarit illam sententiam. » In qua transferenda magis etiam pressus quam Chæremon, aut quivis alius, interpres obversatur.

In hoc Apollinis oraculo rursus hærere cogimur (3) :

Spartam nulla re, nisi avaritià, perituram.

Ciceroni tandem adscriptum invenimus (4) :

(1) *De divin.*, l. 2, 10.
(2) *Tuscul.*, 5, 9. Cf. Plut. *De fortuna*, p. 97.
(3) *De officiis*, 2, 22.
(4) Nonius, sub vocab. *niti*.

Sisyphu' versat
Saxum, sudans nitendo, neque proficit hilum.

Sed, invito Nonio, Tullianam hic musam agnoscere non possumus. Auctorem enim omittit Cicero, quem non laudare consuevit, quotiescunque notissimum aliquid affert. Quanquam horum verborum situs vetustiorem quamdam manum detegit. Unde forsan in Ciceronianis non major affirmanti quam neganti Nonio fides adhibenda est.

Versus quosdam omittimus, quibus subdititii *de re militari* videlicet et de *consolatione* libri referciri possunt. Quamvis enim auctores Tullianam condendi versus rationem imitari studeant, in commentitiis non operam perdimus. Exemplum tamen afferamus, quo fraudis solertiam dispicias (1) :

Corde, age, sis firmo, nec te submitte dolori,
Namque aliquid gravius pejusque aliquando tulisti.

Sophoclis adhuc fragmentum et Æschyli brevius aliud seposuimus, quæ supra majoris momenti controversiæ non inserere nobis visum est. Sic in *Tusculanis* Cicero : « Tum Cleanthem, quum terram pede percussisset, versum ex *Epigonis* dixisse (2) :

Audisne hæc, Amphiarae, sub terram abdite?

Hoc autem Sophocleum attendere magis interest (3) :

(1) *Consolatio.*
(2) *Tuscul.*, 2, 25; Boisson, Apospas., *Epigon.*, 2.
(3) *Tuscul.*, 3, 29.

Nec vero tanta præditus sapientia
Quisquam est, qui aliorum ærumnam dictis allevans,
Non idem, quum fortuna mutata impetum
Convertat, clade subita frangatur sua,
Ut illa ad alios dicta et præcepta excidant.

Hæc enim inter incerta Bothe reponit, qua ratione nescio, quum ita Cicero : « Itaque Oïleus ille apud Sophoclem, qui Telamonem antea de Ajacis morte consolatus esset, is, quum audisset de sui, fractus est; de cujus communi mente sic dicitur. »

Nihil jam e variorum poetarum fragmentis superest, quo nobis Ciceronem etiam interpretem perpendere liceat. In illis equidem, et in Euripidis brevioribus, non eumdem splendorem et cultum, quem in Homeri, Æschyli et Sophoclis amplioribus deprehendere datur. Unum tamen aut alterum locum excipias, cætera jam omnia propriis Ciceronis carminibus conferre non dubitemus. Quin imo, nobis saltem, plurimas constat hic virtutes eminere, et ne ullum quidem inhærere vitium, eorum præsertim quibus illa *consulatus* miracula referciuntur. Hoc in primis miramur, quod illa verborum geminatorum redundantia nusquam in conversis remanet, sed exemplari græco recisa coercetur.

At nobis non in animo est retractare, quæ singulatim de tot locis multiplici ratione perpensis supra disseruimus. Quum vero mente revolvimus, quæ sit in Sirenum cantu suavitas, quam nobilis in Calchantis prædictione dignitas exsplendescat, quam maturum orationis vigeat robur in conversis Æschyli So-

phoclisque fragmentis, non intermisso progressu musa Ciceronis ad gradum semper altiorem evehi nobis videtur. Jam in *Prognosticis* enitent perficiendi labor et sollicitudo. In Homero transferendo major æmulandi cura et felicior exitus obversantur. Quum vero Sophoclem ipsum et audacior Æschylum imitando consectatur interpres, novis viribus, ut ita dicam, recreatus, non iniquo certamine colluctatur. Has autem opes quibus instruitur, et exemplari suo propius accedit, unde jam sumit et splendidior instaurat? Illo nimirum commercio, quo cum Græcis nobilioribus utitur, animos etiam erigit, et generoso succensus ardore, secum ipse certat, et superius suum opus novo carmine vincit. Nonne vero poetas æquales quoque respexit, et, quum recentiora passim ingenia florere, et poeticam acribus studiis exquisitiorem evadere videt, nonne suis etiam popularibus musis attendit, et æmulus exardet? Jam Atacinus Varro, cujus fragmentum laudavimus, egregius, ut videtur, poeta, multis operibus editis Ciceroni stimulos addere potuit. Lucretius autem, quum illius carmina certe Cicero manu versaverit, vel solus Tullii non impar ingenium acuere simul et inflammare valebat. In oratoris equidem poetica supellectili non indicium reperire est, quo certe alterius cum altero certamen, aut Ciceronis manifestam imitationem tenere et æstimare queas. Illa vero, quæ statim assurgit, nobilitatur et ditescit oratio, tacitam cum Lucretio contentionem forsitan universa prodit.

Digni quidem erant Lucretius et Cicero, qui se

mutua prosequerentur admiratione. De verbis tamen ambigitur, quibus Lucretii carmina Cicero dijudicat : « Ut scribis, ait, ita sunt : *non* multis luminibus ingenii, multæ tamen artis (1). »

Particula *non* conjecturæ deberi videtur, dicit Orellius, sed certæ, quum requiratur a part. *tamen*.

Vir autem doctissimus Le Clerc particulam *non* summo quidem, ut opinamur, judicio delevit. Non potuit enim Cicero, qui tantum et Ennio et Attio et ipso Lucilio delectabatur, poetam vi, calore et afflatu superioribus illis multo præstantiorem non demirari, et quum ejus arte multa detineretur, splendidioris etiam ingenii lumina non prædicare.

Num vero in Lucretium eo flagravit studio, ut illius quoque carmina et emendare studuerit et edere? Quam opinionem secutus, sic S. Hieronymus (2) : « Titus Lucretius nascitur, qui postea amatorio poculo in furorem versus, quum aliquot libros per intervalla insaniæ conscripsisset, quos postea Cicero emendavit, propria se manu interfecit. »

Hujus emendationis in litterarum historia nullum superest vestigium. Adducuntur autem quidam ut eam susceptam fuisse conjiciant, quod variæ Lucretii lectiones apud grammaticos passim occurrant. At Ciceronis quoque carmina, *Prognostica* præsertim, ut animadvertimus, varietatem in nonnullis quamdam objiciunt. Constat autem a Cicerone suum opus retractatum et expolitum fuisse. Quid igitur obstat quin

(1) Ad Quintum fratrem, l. 2, 11.
(2) *Chron.* Euseb. Olymp., 171.

et ipse Lucretius edito prius operi novam curam impenderit?

Non equidem facile crediderim huic poemati tam sedulam a Cicerone navatam operam fuisse. Ille enim, quem Epicureorum ubique derisorem iufensissimum reperimus, num eorum doctrinam novis illecebris exornatam studiosus in lucem protulit? Obstat ipsa temporum ratio, ne sic a suis opinionibus desciverit. Anxia tum sollicitudine causa Milonis eum angit. Instant et Clodius et fuga, et brevi rerum ea perturbatio, qua vexatæ diu reipublicæ tandem immergi necesse fuerit. In his igitur temporum augustiis, hujuscemodi poetam emendare quam arduum opus exstitisset!

Cæterum nullius curam a Lucretio desideratam fuisse suspicamur; nec illius insania medicinam expostulavit. Quem enim adduces, qui credat per amatorii furoris intervalla hos libros conscriptos fuisse, in quibns tam lucidus ordo, tanta vis argumentorum, hoc rationis pondus, hæc cogitationum gravitas emineant? Mœsta quidem intermiscentur ubique rerum humanarum fastidia, amara pietas et lamentabilis commiseratio: quæ caveas ne sapientiam potius quam insaniam diligenter attendenti declarent. At operis forsitan argumentum respicientes, variæ philosophorum sectæ, et posteriores stoici præsertim, auctori dementiam exprobraverunt. Quod crimen a Christianis, ut conjicias, libentius etiam acceptum, ad Hieronymi tempus usque permansit, et apud posteros inde majori rumore quam fide percrebuit.

Quod si vero Lucretium nec emendavit nec edidit Cicero, et eum potius attendisse videtur, ut se ipsum perficeret, dignus tamen fuit, qui cum illo consociaretur, et ad recentiores poeticæ laudis æmulus et comes deveniret, nec adeo dispari reverentia coleretur.

CONCLUSIO.

Suo fidens ingenio aut alieno fretus, propria aut conversa Cicero carmina posteris tradidit. Quum igitur poetam aut versuum artificem vicissim considerandum sese præbeat, hanc in duo membra controversiam discerpentes, quo eventu sua et mutua tractaverit dispiciendum esse rati sumus.

Fragmenta vero et veterum testimonia, quibus poeticam Ciceronis facultatem, intus deprehensam, æstimemus, ad duo poemata *De consulatu* et *De temporibus suis* præsertim attinent. Illis igitur tantum attendimus, ut quanti per se facienda sit Tullii musa disceptemus.

In *consulatu* primum operis consilium dispicientes, historicum quidem epos, a Græcis traditum, et ab antiquis Latii poetis Nævio et Ennio jam acceptum agnoscimus. Huic autem generi, secutus Homerum, heroicæ quoque poesis mirabilia et divina quædam intexere Cicero voluit. Quo exitu supra monuimus. Omnia necessario cessant et frigent. Actionis vicem conciones supplent; a diis Cicero res docetur, quas ipse gessit; præsens et mortalis circumstantium immortalium laudibus extollitur; solus, in carmine de

suo consulatu, nihil agit; auditor tantum adstat, aut si forsan interfatur, coram diis, suam ipse gloriam jactatione venditat. Quorumdam exemplo Græcorum Ciceronem Quintilianus excuset, aliquatenus intelligitur. Fuerunt fortasse superiores poetæ, qui se deorum concilio finxerint admissos. Nullus vero, quod credam, sibi deorum coronam circumdedit, ut quæ gessisset ipse doceretur. A diis equidem moneri poeta, minime vero laudari potuit. Quis enim inter poetas græcos tam præclare factis nobilitatus est, ut ipsorum immortalium admiratione se dignum arbitraretur? Unde Quintiliani pace dixerim, hoc novum poematis genus, a Cicerone, non ita feliciter inventum fuisse, quo dii terrestris fabulæ velut actores inducantur.

Si vero istud operis consilium, semel institutum, Ciceroni male cessit, in idem bis incidisse quanto minus ignoscendum est! Sunt autem qui ad poema *De temporibus suis* excusationem Quintiliani referant. Quum igitur constet Ciceronem in carmine de consulatu diis immixtum adstare, si rursus illi cœlestium chorus assurgere fingatur, non excogitandi suam ubertatem poetæ gratuleris. Ego vero, medium inter criticos iter tenens, non crediderim iterum cœlicolis se inseruisse Ciceronem, sed apud superos quoque *De temporibus suis* fabulam peragi, quum ipse dixerit : « Itaque mirificum ἐμβόλιον cogito in secundum meorum librorum includere, dicentem Apollinem in concilio deorum, qualis reditus duorum imperatorum futurus esset. » Ad Quintum, l. 3, 1, 7.

Propria Ciceronis carmina non oratione magis, ut nobis videtur, quam consilio præstant. Hic enim occurunt quæ deridiculo famosa celebrantur :

Cedant arma togæ, etc.
O fortunatam natam, etc.

Quæ quum *De temporibus suis* carmen turpaverint, non absimilibus exornatum de consulatu fragmentum arguitur. In hoc etiam repentia, dura, impedita, hiantia pleraque infra Ciceronis orationem solutam subsidunt, nedum Uraniæ vaticinium *Prognosticis* et *Phænomenis* conferre liceat. Quæ vero causa est cur in propriis sensus poeticus Ciceronem fere deserat? — Modum excederet qui perexiguum oratoris et poetæ consortium esse contenderet. Nec ipse negaverim aliquam inter illos esse societatem, ita vero ut discrimine quodam et ingenio singulari dignoscantur. Eorum saltem musis germana quædam aut affinis inest diversitas, *qualem decet esse sororum*. Quam diversitatem quum alter tollere nititur, in alterius fere naturam migrare potest; quum autem orator, licet poesim aggressus, obnixe permanet orator, quomodo se jam evasurum esse poetam speraret? Constat vero quot exstent in carmine *De consulatu* personarum nomina, totidem objici conciones.

Rursus etiam concedamus fieri posse, ut jactatione quamvis putidus, et superbia tumens, poeticam haud infeliciter exerceas. Quum autem, quod poemati præcipuo vitio vertamus, illud e nimia sui existimatione manifestius effluxerit, cur indolem ipsam

Ciceronis ad poesim minus idoneam fuisse non suspicaremur?

Quod ad linguam attinet, nobis multo magis perspicuum est, cur in propriis carminibus sibi Cicero tam impar exstiterit. Tum enim ingeniorum inopia, quorum vestigiis insistat, patriique sermonis situ, quem non satis adhuc poesis excoluit, sibi nimium confidere cogitur. Ubi vero poetarum latinorum principi se condendi versus ratione non imparem et eo superiorem etiam sensit, sibi pronius indulget et assentatur, nec stimulis accensus æmulum superare contendit. Præstans enim exemplar illi freno fuisset, quo destitutus, effuso cursu scribit, et noctem insomnem quingentis sæpe versibus fingendis deperdit.

Longe aliter se res habet, ubi primum, cum Homero non semel et Æschylo et Sophocle et Euripide, aut etiam Arato congressus, ducem et æmulum consequitur, cujus in excellentia defixus stupet, ad quem vero, nisi summis viribus colluctans, vix accedere potest. Nec Ennium superare Ciceroni jam satis est, neque illi profundere versus et fluere lutulento conceditur. Hic auctor adest, qui suum interpretem sublimius efferat, assidue moneat, luxuriantem coerceat, et sibi similiorem informet. Itaque vix credibile est quanto propriis a Cicerone conversa præcellant. Quod ut manifestius proponeretur, summopere studuimus. Interpretem Græcorum præsertim Ciceronem amplectimur, et quam bene, transferendis illorum locis, de poesi latina meritus fuerit, ostendere conamur. Tum denique nomini poetæ propior accedit, et hac sal–

tem laude sine controversia potitur. Quam ne flocci faciamus, animadvertendum est Ennii versus heroicos ab illo mirum in modum excultos fuisse, Attii musam expolitiorem evasisse, et Lucretii quoque genus a Cicerone Georgicis futuris paratum, Virgilio viam, ut jam dixi, præmuniisse. Inde quem inter poetas latinos illi gradum concedam anquirens, non multum abest, quin arbitrer proximas nostro Malherbe vices illi contigisse. Non pari quidem ingenio viget, sed non absimilem sensum et judicium sortitus, ab oratione soluta poeticam discernit, verba perpendit, modos concinnat, metrorum licentiam coercet, et nascentibus poetis aptiorem linguam et opes ministrat.

Nobis igitur, quo possis æquiore judicio carmina Ciceronis æstimare, necessarium videtur, ut prius a poeta versuum artificem discernas. Hac separatione non usi criticorum plerique in diversissimas sententias abiere, quum alii pessimum, alii præstantissimum poetam Ciceronem habuerint. Quorum testimonia strictim attingere liceat, et media judicii via aversas opiniones componere.

Leviter attendenti sua carmina Cicero vix ullius momenti fecisse videtur. Nunc enim vim et impetum omnino sibi deesse, quippe qui invito scribat animo, et ob patriæ sortem gravioribus curis agitato, declarat (1); nunc « illa omnia, inquit, mihi magis scripsi quam cæteris (2). »

(1) Ad Quintum, l. 3, Epist. 4, 5.
(2) Ad Quintum, l. 2, 9.

At a poetarum natura non prorsus abhorret, quam his ipse verbis expingit : « Adhuc neminem cognovi poetam... qui sibi non optimus videretur (1). » Properat enim fateri « se vertisse multa de Græcis, ne quo ornamento, in hoc genere disputationis, careret latina oratio. »

Hæc de conversis; de propriis magnificentius etiam ille sentit : « Placiturum esse tibi, ait, librum meum suspicabar; tam valde placuisse quam scribis, valde gaudeo (2). »

Scævolæ verbis hariolans (3) :

Canescet seclis innumerabilibus,

immortalitatem Marianæ quercui vaticinatur, quin ipse poema *De temporibus suis* eadem spe prosequitur : « Sunt enim testes (tres libri), et erunt sempiterni meritorum erga me tuorum, meæque pietatis (4). » De Cæsaris tandem expeditione sic ad fratrem Quintum scribit : « Quod me hortaris, ut absolvam : habeo absolutum suave, mihi quidem uti videtur, epos ad Cæsarem (5). »

Quamvis igitur a se conversis Cicero plaudat, propria tamen majore studio fovet et parens amplectitur.

Indiscreta Ciceronis carmina mirantes, illum poetis

(1) *Tuscul.*, l. 5, 22.
(2) Ad Quintum, l. 2, 9.
(3) *De legibus*, 1, 1.
(4) *Epist.* ad famil., l. 1, 9.
(5) Ad Quintum, l. 3, 9.

vel optimis sui æquales componebant. Consularis enim poeta, patronorum longe præstantissimus, in consilio publico summa pollens auctoritate, clientes innumeros, amicorumque turbam et assentatores fortasse suæ poesi conciliare Tullius evaluit. Me suspicio quoque subit, Attico vel invito nonnunquam accidisse ut, ipse poeta, suas laudes fœneraretur. Exspectare carmina, quibus ad cœlum evehebatur, P. Lentulo sane licuit. Partium suarum consortem poetam laudibus extollere tam sincero quam callido Cassius animo potuit. Alios ut omittam, Græcos et Romanos, quorum frequentia Ciceronis domus quotidie celebrabatur, Lucretius fortasse, Catullus sine dubio, ut patrono gratias egit, sic officiosus poetæ blandiri non abnuit (1).

Cæsar ipse, ad poetam quidem scribens, de consulatu suo carmen illi gratulatus erat (2) : « Nam, ait Cicero, primum librum se legisse scripsit ad me ante, et prima sic, ut neget se ne græca quidem meliora legisse. Reliqua ad quemdam locum ῥαθυμότερα. Hoc enim utitur verbo. Dic mihi verum : num aut res eum aut χαρακτὴρ non delectat ? »

Ciceronis igitur æquales illum universi fere poetam salutant. Laudantium tamen choro minus concordes nonnullos animadvertimus. Falsum omittimus Sallustium, qui *De temporibus suis* carmen dente maligno carpit. At fratrem de non curantia (3) jam Quintus

(1) Catullus, 46.
(2) Ad Quintum, l. 2, 16.
(3) Ad Quintum, l. 2, 9. Sic vulgo legitur, quod recentius m[illegible]-

et ipse Lucretius edito prius operi novam curam impenderit?

Non equidem facile crediderim huic poemati tam sedulam a Cicerone navatam operam fuisse. Ille enim, quem Epicureorum ubique derisorem iufensissimum reperimus, num eorum doctrinam novis illecebris exornatam studiosus in lucem protulit? Obstat ipsa temporum ratio, ne sic a suis opinionibus desciverit. Anxia tum sollicitudine causa Milonis eum angit. Instant et Clodius et fuga, et brevi rerum ea perturbatio, qua vexatæ diu reipublicæ tandem immergi necesse fuerit. In his igitur temporum augustiis, hujuscemodi poetam emendare quam arduum opus exstitisset!

Cæterum nullius curam a Lucretio desideratam fuisse suspicamur; nec illius insania medicinam expostulavit. Quem enim adduces, qui credat per amatorii furoris intervalla hos libros conscriptos fuisse, in quibns tam lucidus ordo, tanta vis argumentorum, hoc rationis pondus, hæc cogitationum gravitas emineant? Mœsta quidem intermiscentur ubique rerum humanarum fastidia, amara pietas et lamentabilis commiseratio: quæ caveas ne sapientiam potius quam insaniam diligenter attendenti declarent. At operis forsitan argumentum respicientes, variæ philosophorum sectæ, et posteriores stoïci præsertim, auctori dementiam exprobraverunt. Quod crimen a Christianis, ut conjicias, libentius etiam acceptum, ad Hieronymi tempus usque permansit, et apud posteros inde majori rumore quam fide percrebuit.

Quod si vero Lucretium nec emendavit nec edidit Cicero, et eum potius attendisse videtur, ut se ipsum perficeret, dignus tamen fuit, qui cum illo consociaretur, et ad recentiores poeticæ laudis æmulus et comes deveniret, nec adeo dispari reverentia coleretur.

CONCLUSIO.

Suo fidens ingenio aut alieno fretus, propria aut conversa Cicero carmina posteris tradidit. Quum igitur poetam aut versuum artificem vicissim considerandum sese præbeat, hanc in duo membra controversiam discerpentes, quo eventu sua et mutua tractaverit dispiciendum esse rati sumus.

Fragmenta vero et veterum testimonia, quibus poeticam Ciceronis facultatem, intus deprehensam, æstimemus, ad duo poemata *De consulatu* et *De temporibus suis* præsertim attinent. Illis igitur tantum attendimus, ut quanti per se facienda sit Tullii musa disceptemus.

In *consulatu* primum operis consilium dispicientes, historicum quidem epos, a Græcis traditum, et ab antiquis Latii poetis Nævio et Ennio jam acceptum agnoscimus. Huic autem generi, secutus Homerum, heroicæ quoque poesis mirabilia et divina quædam intexere Cicero voluit. Quo exitu supra monuimus. Omnia necessario cessant et frigent. Actionis vicem conciones supplent; a diis Cicero res docetur, quas ipse gessit; præsens et mortalis circumstantium immortalium laudibus extollitur; solus, in carmine de

suo consulatu, nihil agit; auditor tantum adstat, aut si forsan interfatur, coram diis, suam ipse gloriam jactatione venditat. Quorumdam exemplo Græcorum Ciceronem Quintilianus excuset, aliquatenus intelligitur. Fuerunt fortasse superiores poetæ, qui se deorum concilio finxerint admissos. Nullus vero, quod credam, sibi deorum coronam circumdedit, ut quæ gessisset ipse doceretur. A diis equidem moneri poeta, minime vero laudari potuit. Quis enim inter poetas græcos tam præclare factis nobilitatus est, ut ipsorum immortalium admiratione se dignum arbitraretur? Unde Quintiliani pace dixerim, hoc novum poematis genus, a Cicerone, non ita feliciter inventum fuisse, quo dii terrestris fabulæ velut actores inducantur.

Si vero istud operis consilium, semel institutum, Ciceroni male cessit, in idem bis incidisse quanto minus ignoscendum est! Sunt autem qui ad poema *De temporibus suis* excusationem Quintiliani referant. Quum igitur constet Ciceronem in carmine de consulatu diis immixtum adstare, si rursus illi cœlestium chorus assurgere fingatur, non excogitandi suam ubertatem poetæ gratuleris. Ego vero, medium inter criticos iter tenens, non crediderim iterum cœlicolis se inseruisse Ciceronem, sed apud superos quoque *De temporibus suis* fabulam peragi, quum ipse dixerit : « Itaque mirificum ἐμβόλιον cogito in secundum meorum librorum includere, dicentem Apollinem in concilio deorum, qualis reditus duorum imperatorum futurus esset. » Ad Quintum, l. 3, 1, 7.

Propria Ciceronis carmina non oratione magis, ut nobis videtur, quam consilio præstant. Hic enim occurunt quæ deridiculo famosa celebrantur :

Cedant arma togæ, etc.
O fortunatam natam, etc.

Quæ quum *De temporibus suis* carmen turpaverint, non absimilibus exornatum de consulatu fragmentum arguitur. In hoc etiam repentia, dura, impedita, hiantia pleraque infra Ciceronis orationem solutam subsidunt, nedum Uraniæ vaticinium *Prognosticis* et *Phænomenis* conferre liceat. Quæ vero causa est cur in propriis sensus poeticus Ciceronem fere deserat? — Modum excederet qui perexiguum oratoris et poetæ consortium esse contenderet. Nec ipse negaverim aliquam inter illos esse societatem, ita vero ut discrimine quodam et ingenio singulari dignoscantur. Eorum saltem musis germana quædam aut affinis inest diversitas, *qualem decet esse sororum*. Quam diversitatem quum alter tollere nititur, in alterius fere naturam migrare potest; quum autem orator, licet poesim aggressus, obnixe permanet orator, quomodo se jam evasurum esse poetam speraret? Constat vero quot exstent in carmine *De consulatu* personarum nomina, totidem objici conciones.

Rursus etiam concedamus fieri posse, ut jactatione quamvis putidus, et superbia tumens, poeticam haud infeliciter exerceas. Quum autem, quod poemati præcipuo vitio vertamus, illud e nimia sui existimatione manifestius effluxerit, cur indolem ipsam

Ciceronis ad poesim minus idoneam fuisse non suspicaremur?

Quod ad linguam attinet, nobis multo magis perspicuum est, cur in propriis carminibus sibi Cicero tam impar exstiterit. Tum enim ingeniorum inopia, quorum vestigiis insistat, patriique sermonis situ, quem non satis adhuc poesis excoluit, sibi nimium confidere cogitur. Ubi vero poetarum latinorum principi se condendi versus ratione non imparem et eo superiorem etiam sensit, sibi pronius indulget et assentatur, nec stimulis accensus æmulum superare contendit. Præstans enim exemplar illi freno fuisset, quo destitutus, effuso cursu scribit, et noctem insomnem quingentis sæpe versibus fingendis deperdit.

Longe aliter se res habet, ubi primum, cum Homero non semel et Æschylo et Sophocle et Euripide, aut etiam Arato congressus, ducem et æmulum consequitur, cujus in excellentia defixus stupet, ad quem vero, nisi summis viribus colluctans, vix accedere potest. Nec Ennium superare Ciceroni jam satis est, neque illi profundere versus et fluere lutulento conceditur. Hic auctor adest, qui suum interpretem sublimius efferat, assidue moneat, luxuriantem coerceat, et sibi similiorem informet. Itaque vix credibile est quanto propriis a Cicerone conversa præcellant. Quod ut manifestius proponeretur, summopere studuimus. Interpretem Græcorum præsertim Ciceronem amplectimur, et quam bene, transferendis illorum locis, de poesi latina meritus fuerit, ostendere conamur. Tum denique nomini poetæ propior accedit, et hac sal-

tem laude sine controversia potitur. Quam ne flocci faciamus, animadvertendum est Ennii versus heroicos ab illo mirum in modum excultos fuisse, Attii musam expolitiorem evasisse, et Lucretii quoque genus a Cicerone Georgicis futuris paratum, Virgilio viam, ut jam dixi, præmuniisse. Inde quem inter poetas latinos illi gradum concedam anquirens, non multum abest, quin arbitrer proximas nostro Malherbe vices illi contigisse. Non pari quidem ingenio viget, sed non absimilem sensum et judicium sortitus, ab oratione soluta poeticam discernit, verba perpendit, modos concinnat, metrorum licentiam coercet, et nascentibus poetis aptiorem linguam et opes ministrat.

Nobis igitur, quo possis æquiore judicio carmina Ciceronis æstimare, necessarium videtur, ut prius a poeta versuum artificem discernas. Hac separatione non usi criticorum plerique in diversissimas sententias abiere, quum alii pessimum, alii præstantissimum poetam Ciceronem habuerint. Quorum testimonia strictim attingere liceat, et media judicii via aversas opiniones componere.

Leviter attendenti sua carmina Cicero vix ullius momenti fecisse videtur. Nunc enim vim et impetum omnino sibi deesse, quippe qui invito scribat animo, et ob patriæ sortem gravioribus curis agitato, declarat (1); nunc « illa omnia, inquit, mihi magis scripsi quam cæteris (2). »

(1) Ad Quintum, l. 3, Epist. 4, 5.
(2) Ad Quintum, l. 2, 9.

At a poetarum natura non prorsus abhorret, quam his ipse verbis expingit : « Adhuc neminem cognovi poetam... qui sibi non optimus videretur (1). » Properat enim fateri « se vertisse multa de Græcis, ne quo ornamento, in hoc genere disputationis, careret latina oratio. »

Hæc de conversis; de propriis magnificentius etiam ille sentit : « Placiturum esse tibi, ait, librum meum suspicabar; tam valde placuisse quam scribis, valde gaudeo (2). »

Scævolæ verbis hariolans (3) :

Canescet seclis innumerabilibus,

immortalitatem Marianæ quercui vaticinatur, quin ipse poema *De temporibus suis* eadem spe prosequitur : « Sunt enim testes (tres libri), et erunt sempiterni meritorum erga me tuorum, meæque pietatis (4). » De Cæsaris tandem expeditione sic ad fratrem Quintum scribit : « Quod me hortaris, ut absolvam : habeo absolutum suave, mihi quidem uti videtur, epos ad Cæsarem (5). »

Quamvis igitur a se conversis Cicero plaudat, propria tamen majore studio fovet et parens amplectitur.

Indiscreta Ciceronis carmina mirantes, illum poetis

(1) *Tuscul.*, l. 5, 22.
(2) Ad Quintum, l. 2, 9.
(3) *De legibus*, 1, 1.
(4) *Epist.* ad famil., l. 1, 9.
(5) Ad Quintum, l. 3, 9.

vel optimis sui æquales componebant. Consularis enim poeta, patronorum longe præstantissimus, in consilio publico summa pollens auctoritate, clientes innumeros, amicorumque turbam et assentatores fortasse suæ poesi conciliare Tullius evaluit. Me suspicio quoque subit, Attico vel invito nonnunquam accidisse ut, ipse poeta, suas laudes fœneraretur. Exspectare carmina, quibus ad cœlum evehebatur, P. Lentulo sane licuit. Partium suarum consortem poetam laudibus extollere tam sincero quam callido Cassius animo potuit. Alios ut omittam, Græcos et Romanos, quorum frequentia Ciceronis domus quotidie celebrabatur, Lucretius fortasse, Catullus sine dubio, ut patrono gratias egit, sic officiosus poetæ blandiri non abnuit (1).

Cæsar ipse, ad poetam quidem scribens, de consulatu suo carmen illi gratulatus erat (2) : « Nam, ait Cicero, primum librum se legisse scripsit ad me ante, et prima sic, ut neget se ne græca quidem meliora legisse. Reliqua ad quemdam locum ῥαθυμότερα. Hoc enim utitur verbo. Dic mihi verum : num aut res eum aut χαρακτὴρ non delectat ? »

Ciceronis igitur æquales illum universi fere poetam salutant. Laudantium tamen choro minus concordes nonnullos animadvertimus. Falsum omittimus Sallustium, qui *De temporibus suis* carmen dente maligno carpit. At fratrem de non curantia (3) jam Quintus

(1) Catullus, 46.
(2) Ad Quintum, l. 2, 16.
(3) Ad Quintum, l. 2, 9. Sic vulgo legitur, quod recentius mu-

admonet, et Cæsaris ῥαθυμότερα respicere videtur; jam ipse Tullius, quorumdam invidia lacessitus, sua carmina defendit.

Sequens ætas istius invidiæ, quam incusat Cicero, desiderium illi movisset : fastidiosa siluit, et Tullium immemor non solum poetam, sed oratorem etiam civemque prætermisisset, nisi Pompeiani voce, T. Livii, et pio carmine vatis, Cornelii Severi, laus ejus paululum emersisset. Cæteri nimirum ipsi Ciceronis nomini suis versibus interdixerunt, ne legenti suum parricidæ scelus occurreret.

Ab illo tamen judicio posterior ætas non multum dissentit; nec jam sententia muta Ciceronem tragicus Seneca damnat (1). Expressius etiam Seneca rhetor illum arguit (2). Plinius uterque duobus Senecis, non obnixe tamen, intercedunt. Major oblique celeberrimum illud : Cedant arma, etc., comprobat (3). Cum juniorem immerito pudeat poeticam exercere, se consulis, multorumque principum et Neronis ipsius exemplo tutatur (4). Suos amores canere parans, Ciceronis in Tirone lascivientis carmina jactitat (5). Unde fit ut illius opinio nihil aut quam minimum ad poeticam Ciceronis laudem valeat. Nec enim Tacito aut sibi tantum dissentire Plinium

tatum fuit in *de nostra Urania;* felici quidem conjectura, sed fortasse cum cæteris minus congruente.

(1) *De irà*, l. 3, 37.

(2) *Decl.*, l. 3, *præfat. controv.*

(3) Plinius, l. 8, cap. 30.

(4) Plinius, *Epist.*, l. 5, 3.

(5) *Epist.*, l. 7, 4.

facile crederemus, quum in oratorum dialogo reperiatur : « Fecerunt Brutus et Cæsar carmina, non melius quam Cicero, sed felicius, quia illos fecisse pauciores sciunt. »

Ipse Quintilianus carmina Ciceronis aut miseratur aut excusare contendit (1). Juvenalis (2) et Martialis (3), ut pote qui deridendi magis quam in aliquo dolendi captent occasionem, sine ulla verborum circuitione, Ciceronem poetam discerpunt.

Quum igitur omnes fere Romani videntur auctores Ciceronis versus deserere et prodere, en occurrit græcus qui oratoris musæ patrocinetur (4). Secum fortasse reputat quo felix exitu Cicero multa de Græcis transtulerit, et grato memorique animo nostræ sententiæ justior auxiliatur.

Sæculi sexti decimi sententiam de Ciceronis poesi vel solus Joan. Ferrerius significare potest, quippe qui, quum veterum pleraque, tum suorum æqualium præcipua testimonia congerat. Hujus acerrimæ defensionis argumenta colligere nunc nobis non vacat. Auctoris propositum et urbanitas vel his versibus *ad lectorem* satis patent :

Huc ades, invitis carmen qui scribere musis
  Romani eloquii, credis, inepte, patrem ;
Et tibi quæ nostro candore paratur, opellam
  Ne sperne : errorem submovet illa tuum.

(1) *Inst. orat.*, l. XI, cap. 2.
(2) Juvenal., *Sat.* 9, vers. 119.
(3) Martial., *ad Gaurum.*
(4) Plut., *Vita Ciceronis*, cap. 2.

Hæc fere sunt ejus argumenta : « Quis adeo fungus est? etc. » Et inde concludit non Ciceroni venam, sed tempus et voluntatem defuisse; sin minus, « longo quidem intervallo omnes, etiam Virgilium, a tergo reliquisset. »

Sæculis duobus interpositis, non adeo Voltaire a Ferrerii sententia recedit. Ciceronem haud dubitanter poetis inserens, illum etiam de primo gradu cum Lucretio decertare contendit, et *Marii* versibus nihil præstantius existimat. Quos non sine multa cunctatione, et magna sui diffidentia convertere molitur; expressisque ita timet, ut exemplaris vix lineamenta quædam se adumbrasse fateatur.

Idem vero suum testimonium invitus elevat, quum temere malevolo consulis derisori Ciceronis certissima quædam adscribit (1).

Hujus tamen sententiæ suffragatus Middleton, virtutibus oratoriis vim ingenii poeticam non inferiorem futuram Ciceroni fuisse, si parem excolendæ poesi curam impendisset, aperte declarat (2).

Metastasius contra dolet, quod ea fuerit Ciceroni virtus, ut ridenda poemata tot libris immiscuerit (3).

Nostris temporibus in unum conspirant inter poetas et criticos doctissimi. Lamartine, cujus nomen in re tam levi, precor, liceat appellare, Ciceronis etiam *Marium* laudibus extollit, et opinioni quoque refragatur, ut Voltaire, qua carminibus oratori, ut parum

(1) *Rome sauvée*, præf.
(2) *Vita Ciceronis*, ultimo libro.
(3) *Poetica d'Orazio.* Nota in versu 304.

idoneo, solet interdici (1). Victor Le Clerc, dignus quidem summa eruditione, qui, cæteris omissis, solus hic omnium Ciceronis interpretum partes defendat, media consilii via sapientior, neque Ciceronem altius effert, neque de illius merita laude detrahit : « Adolescens, inquit, in poesi Cicero versatus est, qua suum ingenium exerceret. Jam annis provectus, e poesi nihil aliud quam delectationem percipere studuit. Injurium igitur esset Ciceronis versus cum posterioris ætatis carminibus componere. Scire tantum expedit, illum, teste Plutarcho, ut sui temporis præstantissimum oratorem, sic optimum poetam habitum fuisse. Multis licet, quæ nunc desiderantur, poematis illa sententia fortasse niteretur, fieri tamen potest, ut iis quæ supersunt, si candide judicata fuerint, Plutarchi fides non resignetur (2). »

Veterum et recentiorum de Cicerone poeta testimonia strictim attigimus. Quæ sic resumere consentaneum est : sua Ciceronem ætas poetam una voce fere salutavit, sequens prætermisit immemor. Quintiliani et Taciti temporibus, a nonnullis timide defensus, acriter a plerisque Cicero lacessitur. Unus, græcus quidem, musam Tullianam a contemptu vindicat.

Sæculo sexto decimo laus iterum poetica Ciceronis emergere; octavo decimo, rursus variis opinionibus conflictari; nostris vero temporibus in tutiora tandem evadere.

(1) Vie de Cicéron.
(2) Trad. Cicéron., vol. 35, p. 64.

Quod si vero, nulla temporum habita ratione, per se poeta Cicero considerandus esset, non illi præstans ingenium gratularemur, neque nobis æquo gradu cum Catullo aut Lucretio contendere videretur. Quos quum sequatur Virgilius, eorum tamen luminibus non obstruit : æterna vigent ingenii pubertate ; at Cicero consenuit. Quum autem ad tempora respicimus, ut in aurei sæculi limine novæ poesi facem præferens, nobis jam obversatur. In illis etiam quæ non alieno condidit afflatu, orationis elegantia et versus heroici concinnitate Lucilium et Ennium multo superat. In conversis autem, versuum artificem cum ipso Virgilio nonnunquam decertantem se protulit.

APPENDIX.

Hic omnium indicem subjicimus locorum, qui, apud Ciceronem, nullius auctoris nomine præscripto, criticorum conjectura aut grammaticorum judicio, variis auctoribus, tragicis aut comicis, adscribuntur.

In *Academ. prior.*

L. 2, 27. Alcmæonis fragmentum, et alterum Iliones:
Mater, te appello, etc.
— 28. Niptrorum fortasse frag., et alterum Alcmæonis:

In libris *De finibus bonorum et malorum.*

L. 2, 4. Tanta lætitia, etc.....
Nunc demum, etc.....
Quanquam hæc inter nos, etc.
L. 2, 6. Omnes Danaï atque Mycenenses, etc.
— 22. Nemo pius est, qui pietatem, etc.
— 29. Quod ejulatu, questu, gemitu, fremitibus, etc...
Cui viperino morsu venæ viscerum, etc.
L. 5, 10. Mihi sic usus est, etc.
— XI. Refugiat subito sanguen, etc.
— 22. Ego sum Orestes.

In *Tusculanis*.

L. 1, 5. Mento summam aquam attingens, etc.....
Sisyphu' versat
Saxum, sudans nitendo, neque proficit hilum.
— 16. Adsum atque advenio Acherunte, vix, via atra [atque ardua.
— 20. Argo, quia Argivi in ea, delecti viri....
Europam Libyamque rapax ubi dividit unda.
— 21. Acherusia templa alta Orci.
— 28. Sub axe posita ad stellas septem, unde horrifer, etc.
— 35. Adstante ope barbarica.....
Hæc omnia vidi inflammari.
— 39. Modo pueros, modo adolescentes, in cursu a tergo [insequens.
— 44. Vidi, videre quod me passa ægerrime.
..... Prius
Quam feræ volucresque.....
Neu reliquias sic meas siris, denudatis ossibus.
L. 2, 7. Heu! quis salsis fluctibus mandet, etc.
— 15. Nihil horum simile esse apud Lacænas virgines.
— 16, O Patrocles, ad vos adveniens, auxilium et vos- [tras manus, etc.
(Scena fere tota).
— 17. Samnis spurcus homo, vita illa dignu' locoque.
L. 3, 12. Tantalo prognatus, Pelope natus, qui quondam a [socru.
— 13. Ego quem genui, tum moriturum scivi, et ei rei [sustuli, etc.
— 19. Pol, mihi fortuna magis deficit quam genus, etc.
L. 4, 23. Nam facinus fecit maxumum, quum, Danais in- [clinantibus, etc.
— 32. Tu me amoris magis, quam honoris servavisti [gratia.

— 34. ..... Si quidem sit quisquam deus, etc.
— 36. Ag. Quis homo te exsuperavit usquam gentium im-
[pudentia?
(Scenæ fragmentum.)
L. 5, 16. Lenitudo orationis, mollitudo corporis.
— 17. A sole exoriente, supra Mæoti' puludes.
— 18. Proinde ita parent se in vita, ut vinci nesciant.
— 38. Patria est, ubicunque est bene.

De natura deorum.

L. 1, 42. Ubi initiantur gentes orarum ultimæ.
Nocturno aditu occulta coluntur.
L. 3, 25. Nequaquam istuc istac ibit : magna inest certatio.
— 26. Qui volt esse, quod volt, ita dat se res, ut operam
[dabit...
Ille transversa mente mihi hodie tradidit repagula...
Postquam pater
Appropinquat, etc.
— 27. Qui non sat habuit conjugem illexe in stuprum...
Quod in summa re summum esse periclum arbi-
[tror, etc...
Addo hoc, quod mihi portento cœlestum pater, etc.
— 32. Nam si curent, bene bonis sit, male malis, quod
[nunc abest.
— 38. Quinam Tantalidarum internecioni modus, etc.

De divinatione.

L. 1, 16. Inter se strepere aperteque artem obterere extis-
[picum.
— 21. Quia mater gravida parere se ardentem facem, etc.
— 31. Præsagibat animus, frustra me ire, quum exirem
[domo.

— 31. Sed quid oculis rabere visa est derepente arden-[tibus? etc.
— 36. Flexanima tanquam lymphata, aut Bacchi sa-[cris, etc.
— 37. Ego providebo rem istam et albæ Virgines.
— 50. Eheu! videte : judicavit inclutum, etc.
L. 2, 56. O sancte Apollo, qui umbilicum certum terrarum [obsides...
Crœsus Halym penetrans magnam pervertet opum [vim.

De officiis.

L. 1, 18. Vos etenim, juvenes, animum geritis muliebrem...
Salmaci, da spolia sine sudore et sanguine.
— 39. O domus antiqua, heu, quam dispari
Dominare domino!
L. 3, 26. Cujus ipse princeps juris jurandi fuit, etc.
— 29. Neque dedi, neque do infideli cuiquam.

Ex *Epistolis* ad Atticum.

L. 1, 18. Non homo, sed
littus atque aer et solitudo mera.
L. 2, 18. Displiceo mihi nec sine summo scribo dolore.
— 19. Nostra miseria tu es Magnus...
Eamdem virtutem istam veniet tempus qnum gra-[viter gemes.
Si neque leges neque mores cogunt.
L. 5, 15. Clitellæ bovi
Sunt impositæ, cillane; non est nostrum onus.
L. 6, 3. Granius autem
Non contemnere se et reges odisse superbos.
L. 8, 26. Si te secundo lumine hic offendero

L. 13, 23. Da te in sermonem et perseca
Et confice, excita, compella, loquere.
L. 13, 52. Bene cocto,
Condito, sermone bono, et, si quæri', libenter.
L. 14, 21. Hoc metuere, alterum in metu non ponere.
L. 15, 11. Nec Pelopidarum facta neque famam audiam.

Ad *famil. Epist.*

L. 2, 8. Quare da te homini; complectetur, mihi crede.
— 9. Non edepol, quantam egeris rem neque quantum [facinus feceris...
Incredibile hoc factu objicitur...
Incessi omnibus lætitiis...
Ego voluptatem animi nimiam...
L. 7, 10. Aut consolando aut consilio aut re juvero.
— 13. Non ex jure manum consertum, sed mage ferro
Rem repetunt.
L. 9, 26. Quem exspectabant, cujus ob os Graii ora obver- [tebant sua.

Vidi ac perlegi,

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, ipsis kalend. septemb. ann. M DCCC LVI,

Facultatis litterarum in academia Parisiensi decanus,

J.-Vict. LE CLERC.

Poitiers. — Imprimerie de N. Bernard.